Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Bernardus Morlanensis

Bernardi Morlanensis Monachi ordinis Cluniacensis, De Vanitate Mundi, Et Gloria Caelesti, Liber Aureus

Editi recens, & plurimis locis emendati, studio & opera Eilh. Lubini, Rostochii: Typis Reusnerianis, 1610

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026

Druck Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026/phys_0001
DFG

12. a. 14

2730

Cq - 196.

~~C. II. f. 3111.~~

C II f

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026/phys_0002

DFG

.XII. XVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026/phys_0008
DFG

BERNARDI MORLANENsis Monachi ordinis Cluniacensis,

De

VANITATE MUNDI, ET GLORIA CÆLESTI, LIBER AUREUS.

Item alij ejusdem

LIBRI TRES

Ejusdem fermè argumenti,

Quibus cum primis in Curiæ Romanæ & Cleri horrenda scelera stylo Satyrico carmine Rhithmico Dactylico miro artificio ante annos fermè quingentos elaborato, gravissimè invehitur.

Editi recens, & plurimis locis emendati, studio & operâ

EILH. LUBINI.

ROSTOCHII
Typis Reusnerianis, ANNO M. DC. X.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis
Samuel Bfore

Reverendo, Humaniſsimo, & Doctiſsimo Viro,

DN. MATTHIÆ MATTHIÆ, Eccleſiæ DEI Paſtori, & verbi DEI miniſtri in Schwensdorff/inſulæ ALSIÆ, Domino amico & fratri meo in Chriſto colendo, S.

NE fortè priſtinæ illius amicitiæ ac familiaritatis, quæ conciliatrice virtute & honeſtate quondam domi meæ inter nos cojit, oblivionem animo meo inductam arbitreris, reverende & humaniſſime vir, Ecce tibi exiguum libellum Bernhardi Morlanenſis, tuo nomini hiſce diebus à me inſcriptum. Quis, dices, Bernhardus ille Morlanenſis? Nempe quem, ſiquidem, ut ex ungue leonem, penitiùs æſtimare velimus, mirandum pariter ac dolendum eſt, hoc ejus carmen tanto tempore dilituiſſe, nec prius è barbariæ prioris ſæculi tenebris erutum deterſis à tot & tam fædis maculis facie & oculis puriorem lucem jamdudum aſpexiſſe. Nimirum qui, ſive futuræ vitæ beatitudinem, ſive hujus vitæ præſentis vanitatem, perſequatur; tantâ utrumq; facit gravitate, acrimoniâ, libertate, ut lector meritò dubitet, in illo major fuerit zelus an ſcientia, major pietas an doctrina, major ingenij virtus, an artificij ſolertia. Imprimis autem obſervatione dignum, quod vir ille Sanctus, in ſui ſæculi ſcelera non aliter debacchetur, quàm ſi illa jam ante quingentos annos ad illud acuminis præcipitium adſcenderint, ut nec ulterius adſcendi, neq; à poſteritate quidquam illis ulteriùs addi potuerit.

potuerit. Cujus vitam si Deus in præsens nostrum reservâsset sæculum, haud dubiè illa priora sæcula judicasset aurea, præ hoc nostro, cujus enormitati vel primis lineis delineandæ vix ulli Saryricorum numeri aut colores suffecerint. Et atrocissima quidem illa & penitus horrenda, quæ de Papâ, de Curiâ, & de Clero Romano (qui alioqui in mundo soli sancti, & Ecclesia Dei haberi & videri unicè postulant) & de Simoniâ, Sodomiâ & alijs abominationibus & impuritatibus Romæ plenis passibus grassantibus, scribit. Verum enimverò, quo ipsum animo futurum arbitrabimur, si hoc nostro tempore ultimum illud væ Stygio orco emissum, illam ultimam plagam jam jam ruituro mundo immissam, Locustas illas expertus esset, illa carcinomata humani generis, Jesuitas? Qui cum sint longè omnium maximè nefarij ac pestilentissimi, eo tamen pestilentiores sunt, quo sanctius nomen sibi adfingunt, sanctiorem societatem mentiuntur, Iesu nempe, cum quo omnia illis sunt communia, quæ tenebris cum Luce, & Balial cum Christo. Quid autem atrocius dici aut cogitari potest illis facinoribus, quæ nostro sæculo hi Basilisci & Catoblepæ in Germaniâ, Galliâ, Belgio, Hungariâ, Angliâ, Poloniâ, Muscoviâ, & ubi non? machinati sunt? Adeo ut jam toti mundo innotuerit nullum atrox facinus, nullum immane scelus jam sub cælo perpetrari, cui Jesuita aliquis manus suas non admolitus sit, imò dexteram suam ad cubitum usq; non inseruerit. Nec minus illud toti mundo exploratum, atq; re & opere ipso compertum, illis locis nec pacem nec salutem sperari posse, quibus Jesuitæ tolerentur, nec ullius Christiani aut Euangelici regis aut principis jugulum aut pectus à mortiferis sicarum ictibus satis tutum aut munitum esse posse, ad quam Iesuita aliquis personatus cum telo aut cultro penetrare possit. O si Deus nostro sæculo excitaret Bernardum quendam Morlanensem, qui illud mortife-

um hujus sæculi Apostema penitiùs tactum Satyrico sale perfricaret, & mordaci aceto perfunderet, & filium illum perditionis Antichristum, illum Draconem septicipitem cum reliquis illis Curiæ Romanæ monstris tanquam Hercules quidam Christianus Satyræ suæ Christianæ clavâ contunderet & domaret! Præsens a. hic pij Monachi liber, si quisquam alius hujus sæculi moribus debetur, quo ardentissimo indignationis zelo mundi impietatem deplorat. Vixit a. hic Bernhardus Anno Christi 1130. aut præter propter. Scripsit colloquium Gabrielis & Mariæ. Item hosce, quos jam edimus, & non paucis locis correximus, libros, Dignos sanè non solum propter artificiosam & laboriosam carminis elegantiam & Latinitatem, (quæ illo imprimis sæculo nutare cæpit) sed etiam propter Christianissimas & pijssimas sententias è medio verbi Dei thesauro petitas, doctorum & imprimis verè Christianorum omnium jugi lectione pariter & meditatione. Quibus licet alicubi forte, quod fermentum illius sæculi resipiat, adspergatur: illud tamen vel sæculo imputandum, vel commodâ explicatione emolliendum. Tu reverende vir, munusculum hoc amoris, honoris, & grati animi atq; observantiæ meæ erga te specimen & documentum minimè fallax, accipe & æqui boniq. consule, meq; cum præstantissimo viro, *MONRADO* illo nostro, Ecclesiarum vestrarum Præposito, adfini tuo, & amico ac fratre meo, adamantino æterni in Christo Iesu amoris vinculo mihi devincto & obligato, tuo favore & amore prosequi ne desine. Bene ac feliciter Vale. Rostochij Postridie Michaelis, Anni 1610.

R. T.

Studiosissimus

Eilhardus Tubinus D.

BERNARDI MORLANENSIS
DE VANITATE MUNDI, ET APPETITU ÆTERNAE VITAE, Libellus aureolus.

CHARtula nostra tibi mandat dilecte salutes,
Plura vides ibi si modo non mea dona refutes.
Dulcia sunt animæ solatia quæ tibi mando.
Sed prosunt minimè, si non serves operando.

Quæ mea verba monent tu noli tradere vento,
Cordis in aure sonent, & sic retinere memento,
Vt tibi grande bonum nostri monitus operentur,
Perq; dei donum tibi cælica regna parentur.
Menti sinceræ possunt hæc verba placere,
Hæciter ostendunt, hortantur, non reprehendunt.

Vox diuina monet quod nemo spem sibi ponet
In rebus mundi, quæ causam dant pereundi.
Si quis amat Christum mundum non diligat istum,
Sed quasi fœtorem spernens illius amorem,
Æstimet obscœnum, quod mundus credit amœnum.

Totum

Totum huic vilescit iam quidquid in orbe nitescit,
Vitat terrenum decus & mortale venenum.
Abiectoq; foris cæno carnalis amoris,
Ad regnum cæli suspirat mente fideli,
Atq; fide plena paradisi speret amæna.
Tu quoq; frater ita carnis contagia vita
Vt placeas Christo, mundo dum viuis in isto.
Nec tibi sint curæ res ad nihilum redituræ.
Quæ cito labuntur, multoq; labore petuntur.
Cur homo lætaris quia forsan cras moriaris?
Per nullam sortem poteris depellere mortem.
Cur caro lætaris quia vermibus esca pararis?
Hic, locus est flendi, sed ibi est peccata luendi.
Postea gaudebunt qui nunc sua crimina flebunt.
Iam non lætetur qui gaudia summa meretur.
Gaudia stultorum cumulant tormenta dolorum.
Talia prudentes fugiunt, ea despicientes.
Cur caro non spernis quæ pretereuntia cernis?
Nonne vides mundum miserum, & pariter moribundum
Sub gladio dira mortis languendo perire?
Mors resecat, mors omne necat quod in orbe creatur,
Magnificos premit & modicos, cunctis dominatur.
Nobilium tenet imperium, nullumq; veretur
Tam ducibus quam principibus communis habetur.
Mors iuuenes rapit atq; senes, nulli miseretur,
Illa fremit, genus omne tremit quod in orbe mouetur.
Illa ferit, caro tota perit dum sub pede mortis
Conteritur, nec eripitur vir robore fortis.
Cur igitur qui sic moritur vult magnificari?
Diuitias sibi cur nimias petit ille parari?
Instabiles sumus & fragiles, multisq; ruinis
Atterimur, dum sic trahimur sub tempore finis.
Pretereunt & non redeunt mortalia quæq;
Nec statio manet in dubio sic nocte dieq;.

Vita

Vita breuis velut vmbra levis sic annihilatur.
Sic vadit, subitoq; cadit dum stare putatur.
Quis redimit cum mors perimit, quia munera nunquam
Nec precium nec seruitium mors accipit vnquam?
Sed quid plura loquar? nulli mors invida parcit,
Non euadit inops, nec qui marsupia farcit.
Non igitur cesses ea quæ bona sunt operari,
Nam mors non cessat tibi nocte dieq; minari.
Amplius in rebus noli sperare caducis.
Sed cupiat tua mens æternæ gaudia lucis.
Falliter insipiens vitæ præsentis amore,
Sed nouit sapiens quanto sit plena dolore
Quidquid formosum mundus gerit & speciosum
Floris habet morem cui dat natura colorem.
Mox vt siccatur totus color annihilatur,
Postea nec florem monstrat, nec spirat odorem.
Regia majestas, omnis terrena potestas,
Prosperitas rerum, series longinqua dierum
Ibit, & absq; morâ cum mortis venerit hora.
Mundi quid sit honor ego nunc tibi scribere conor.
Nosti quippe satis quam nil ferat vtilitatis.
Prædia terrarum, possessio diuitiarum,
Fabrica murorum, grandis structura domorum,
Gloria mensarum, cum delicijs epularum,
Insigneq; thori pariterq; scyphiq; decori,
Resplendens vestis quæ moribus obstat honestis,
Grex armentorum, spacioſus cultus agrorum,
Fertile vinetum diuersâ vite repletum,
Gratia natorum, dilectio dulcis eorum,
Cuncta relinquentur, nec post hæc inuenientur.
Quod breuiter durat quis prudens quærere curat?
Non metuens hominem faciet mors aspera finem
Rebus mundanis mendacibus, & malè sanis.

Causa grauis scelerum cessabit amor mulierum.
Colloquium quarum non est nisi virus amarum,
Præbens sub mellis dulcedine pocula fellis.
Nam decus illarum laqueus fallax animarum,
Cum verbis blandis mendacibus atq; nephandis
Illaqueant, stultosq; ferunt ad tartara multos.
Omnia transibunt, & gaudia vana peribunt,
Et faciunt fructum tristem per sæcula luctum.
Omnibus hoc dico ne se subdent inimico.
Ne supplantentur qui subditi in his retinentur.
Noli confundi miserâ dulcedine mundi.
Nam sua dulcedo dilabitur ordine fædo.
Quæ trepidas mentes & mollia quæq; sequentes
Fallit mulcendo carnem, blandéq; fouendo.
Postea finitur, nec dulcis tunc reperitur,
Sed fit amara nimis nec adæquans vltima primis,
Et grauiter pungit miseros, quos primitus vngit.
Nam sic illusus & semper mollibus vsus.
Damnatos dignè post mortem torret in igne.
Atq; voluptatem conuertit in anxietatem,
Et fit flamma furens illos sine fine perurens.
Talia lucra ferent studijs qui talibus hærent.
Sed qui saluari vult perpetuoq; beari
Christo deuotum studeat se tradere totum
Hujus inhærendo præceptis, & faciendo
Quæ scripturarum monstrant documenta sacrarum.
Accipiet verè qui vult hæc jussa tenere
Sedibus in lætis æternæ dona quietis.
Quæ cunctis dantur qui corde Deo famulantur,
Atq; ea qui spernunt quæ prætereuntia cernunt.
Hic est seruorum requies, & vita suorum,
Gaudia quæ præstat, tribulatio nullâ molestat,
Gloria solennis manet illic, paxq; perennis.

Semper

Semper honoratos facit hos Deus atq; beatos
Quos recipit secum. Sed quamuis judicet æquum,
Plura tamen dantur sanctis, quàm promereantur.
Omnia dat gratis fons diuinæ pietatis,
Proq; labore breui bona confert perpetis æui.
His qui salvantur semper bona multa parantur.
Sic mala multa malis properat mors exitialis.
Isti gaudebunt, isti sine fine dolebunt.
Nemo potest fari, nec scribere, nec meditari
Gaudia justorum, nec non tormenta malorum.
Heu malè fraudatur, vah! stultè ludificatur,
Qui propter florem mundi, vanumq; decorem,
Qui prius apparet quasi flos, & protinus aret,
Vadit ad infernum perdens diadema supernum,
Quod dominus donat cunctis, quos ipse coronat.
Errat homo verè qui cum bona possit habere,
Sponte subit pœnas, infernalesq; catenas.
Huius amor mundi putei petit ima profundi,
Protinus extinctus, moritur qui mittitur intus,
Semper ad ima cadit, semper mors obuia vadit,
Nec venit ad metas mortis miserabilis ætas,
Nescit finiri, semperq; videtur oriri,
Semper vexando, semper gemitus provocando,
Ingerit ardores, infinitosq; dolores.
Sunt ibi serpentes flammas ex ore vomentes,
Fumosos dentes, & guttura torua gerentes,
A flatu quorum pereunt animæ miserorum,
Sunt ibi tortores serpentibus horridiores,
Difformes, nigri, sed non ad verbera pigri,
Nunquam lassantur, sed semper ad hoc renouantur,
Et male feruentes sunt ad tormenta recentes.
Semper tristati sunt ad tormenta parati,
Semper & ardescunt, nec cessant, nec requiescunt,

Non exstirpantur nec parcunt nec miserantur,
Quàm malè damnatur, quàm fortiter excruciatur
Qui fert tantorum feritatem suppliciorum.
Quid tunc thesauri, quid acervus proderit auri,
Cum peccatores mittuntur ad inferiores
Inferni latebras, imas pariterq; tenebras,
Semper passuri, nec ab his vnquam redituri?
Tunc flens & tristis qui pœnis traditur istis,
Mallet præteritæ quod in omni tempore vitæ
Pauper vixisset, quam diuitias habuisset.
Stat malè securus qui protinus est moriturus.
Non bene lætatur cui pœna dolorq; paratur.
Non igitur cures gazas acquirere plures,
Gazas fallaces incertas atque fugaces,
Quæ magis optantur cum plenius accumulantur.
Hæc faciunt mentes semper majora petentes.
Diuitiæ tales sunt omnibus exitiales,
Nam sibi credentes faciunt miseros, & egentes.
Post carnis vitam per blandimenta nutritam,
Expertesque boni traduntur perditioni,
Nemo tamen credat quod ab ista luce recedat,
Ignibus arsurus, vel propter opes periturus,
Si proprium servet, si diuitias coacervet.
Quamvis sit rarum, poterit possessor earum
Juste salvari, fugiat si nomen avari,
Vivat prudenter, gazas habeat sapienter,
Non abscondendo, sed egenis distribuendo.
Sed satis est notum quod plus dimittere totum
Prodest, quam temerè quæ sunt nocitura tenere.
Tutius est verè mortem fugiendo cavere,
Quam prope serpentem procumbere virus habentem.
Sic est in mundo. quarè tibi consilium do
Quatenus hoc spreto te tradas pectore læto

Seruitio

Seruitio Christi, cui traditus ipse fuisti.
Hic tibi præbebit regnum quod fine carebit.
Huic si seruieris celsis opibus potieris,
Tollere quas fures nequeunt, nec rodere mures.
Collige thesaurum qui gemmas vincat & aurum.
Quære bonos mores, thesauros interiores.
Gazas congestas mentis præcellit honestas.
Nam miser est & erit qui mundi prospera quarit.
Est dives vere qui non ea poscit habere,
Qui bonus est intus fidei quoq; numine tinctus,
Semper honestatis studium tenet & probitatis.
Cum bona quis tractat tunc se virtutibus aptat
Si nihil est sordis quod polluat intima cordis.
His delectatur Dominus qui cor speculatur,
Thesaurus talis preciosus spiritualis.
Comparat æternam vitam, patriamq; supernam,
Congregat in cœlis thesaurum quisq; fidelis,
Perq; bonos mores ad summos tendit honores,
Nec modo vult fieri locuples, nec major haberi.
Sed semper minimus semper despectus & imus.
Plus paupertatem cupiens quam prosperitatem,
Hanc q; libens tolerat quia cœli gaudia sperat.
Pauper amabilis & venerabilis & benedictus.
Dives inutilis & miserabilis & maledictus.
Pauper laudatur cum dives vituperatur.
Qui bona negligit & mala diligit intrat abyssum.
Nulla potentia nulla pecunia liberat ipsum.
Est miserabilis insatiabilis illa vorago.
At ubi mergitur horrida cernitur omnis imago.
Hæc cruciamina enim ob sua crimina promeruerunt,
Vir miserabilis Eva q; flebilis hæc subierunt.
Iussa Dei pia quiq; salubria si tenuissent,
Vir neq; famina, nec quoq; femina morte ruissent.

Sed

Sed quia spernere jussaq; solvere non timuerunt
Mors gravis irruit, hoc merito fuit, & perierunt.
Janua mortis læsio fortis crimen eorum,
Attulit orbi semina morbi totq; malorum.
Illa parentes atq; sequentes culpa peremit,
Atq; piarum deliciarum munus ademit.
Flebile fatum dans cruciatum dansq; dolorem
Illa mereri, perdere veri regis amorem.
Tam lachrimosâ tamque perosâ morte perire
Atq; ferorum suppliciorum claustra subire.
Est data sævam causa per evam perditionis,
Dum meliorem spernit honorem voce Draconis.
Hæc male credens, nos quoq; lædens crimine magno
Omnia tristi subdidit isti sæcula damno.
Stirps miserorum pœna dolorum postea crevit.
His quoq; damnis pluribus annis subdita flevit.
Tunc Deus omnipotens qui verbo cuncta creavit.
Sic cecidisse dolens hominem, quem semper amavit,
Ipse suum verbum transmisit ad infima mundi
Exulibus miseris aperire viam redeundi.
Filius ergo Dei descendit ab arce superna.
Nunquam descendens à majestate paterna.
Qui corpus cum animâ sumens e numine salvo
Processit natus sacro de virginis alvo,
Verus homo verusq; Deus pius & miserator,
Verus Salvator nostræq; salutis amator.
Vivendiq; volens nobis ostendere normam,
Se dedit exemplum rectamq; per omnia formam.
Insuper & multos voluit sufferre labores,
Atq; dolore suo nostros auferre dolores
Sponte sua moriens mortem moriendo peremit,
Et sic perpetua miseros à morte redemit.
Succurrens miseris mortali peste gravatis.

Quod

Quod non debebat persolvit fons pietatis.
Pondera nostra ferens penitus nos exoneravit,
Et quidquid crimen vetus abstulerat reparavit.
Nam de morte suâ redivivus uti leo fortis
Restituit vitam prostrato principe mortis.
Sic Domini pietas mundum non passa perire,
Fecit nos miseros ad gaudia prima venire.
Jam satis audisti frater quæ gratia Christi
Sic nos salvavit, nostrumq; genus reparavit.
Si sapis hoc credas, nec ab hâc ratione recedas.
Sed quid lucratur credens qui non operatur?
Hic male se lædit. Malè vivens non bene credit.
Crede mihi magnum facit illa fides, sibi damnum,
Morteque mactatur, quia mortua jure vocatur.
Hunc facit ipsa mori sub judicio graviori
Quam si nescisset fidei quid dogma fuisset.
Quod loquor est notum retinentibus utile totum,
Frater id ausculta, veniunt tibi commoda multa.
Si retinere velis, quia sic eris ipse fidelis.
Hanc per virtutem poteris sperare salutem.
Atque beatus eris si quæ bona sunt opereris.
Ergo verborum semper memor esto meorum.
Cura tuæ mentis semper sit in his documentis.
Si vis salvari semper studeas imitari
Vitam justorum, fugiens exempla malorum.
Illis jungaris quorum pia facta sequaris.
Elige sanctorum consortia, non reproborum.
O quam ditantur qui cælica regna lucrantur!
Sic exaltantur qui sanctis associantur,
Vivunt jocundi qui spernunt gaudia mundi,
Qui carnis miseræ norunt vicium omne cavere.
Sub pedibus quorum victus jacet hostis eorum.
His dabitur verè Dominum sine fine videre,

Ange-

Angelicusq; chorus divinâ laude sonorus,
Cum quibus ante Deum referunt cum laude tropæum.
Quod tibi nunc dico si serves corde pudico
Hos inter cætus vives sine tempore lætus.
Sed miseri flebunt quia gaudia nulla videbunt.
Nunquam cum reprobis tribuatur portio nobis.
Ad pœnas ibunt, & sic sine fine peribunt.
Mundus ad hanc partem per dæmonis attrahit artem,
Isti hæc dona ferent qui sordibus ejus adhærent.
Sensu discreto quæ sunt nocitura cavebo,
Pervigili cura semper meditare futura.
Quam fera quam fortis veniet destructio mortis!
Quæ via pandetur, cum spiritus egredietur!
Quid sit facturus, vel quos comites habiturus!
Quàm miser infernus, quàm nobilis ordo supernus!
Quæ mala damnatis, quæ sunt bona parta beatis!
Quantum gaudebunt quos gaudia summa replebunt!
Quos illustrabit quos semper lætificabit
Visio sancta Dei, splendorq; Dei faciei!
Talia quærenti venient nova gaudia menti.
Cum studio tali dulcedine spirituali
Mens tua pascetur, si jugiter hæc meditetur.
Hoc studium mentem Domino facit esse placentem.
Curas terrenas magno cruciamine plenas.
Funditus expellit, viciorum germina vellit.
Sic terrenorum mens tacta timore dolorum
Deserit errorem, mundiq; repellit amorem.
Postea summorum flagrescit amore bonorum.
Confert tale bonum Domini durabile donum.
Nam cum mutatur mala mens Deus hoc operatur.
Virtutum munus præstare potest Deus unus.
Qui sic servorum docet intus corda suorum.
Qui bona sectantur, vel qui purè meditantur.
Sic Dominus mores levat illos ad meliores,

Quos

Quos penitentes videt auxiliumque petentes,
Ergo fide purâ Christo te subdere cura.
Auxilio cujus fugias mala temporis hujus
Atria sunt cæli verè patefacta fideli.
Semper ibi vives divino munere dives
Si vis sincerè Domini præcepta tenere.
Christo junguntur sua qui præcepta sequuntur.
Nam decus æternum datur his regnumque supernum.
Gloria cælestis Paradisi, cælica vestis
Hos faciet lætos, & pax æterna quietos.
Num delectaris cum talia præmeditaris,
Ista libens audis, & ad hæc pia gaudia plaudis?
Nec tamen ignores per magnos ista labores
Sanctis adquiri, nec fortuitò reperiri.
Sed quamvis gratis tribuat Deus ista beatis;
Nemo tamen segnis vitæ fert dona perennis,
Ni melior factus, proprios correxerit actus.
Quem satis his dignum Dominus vult esse benignum,
Promptum ferventem non ocia vana sequentem.
De regno cæli non credit mente fideli
Insipiens & hebes, sed tu bene credere debes.
Christo dicenti, rapiunt illud violenti.
Scilicet austeri, sed distinguendo severi,
Mollia spernentes, & carni vim facientes,
Semper & intenti Domino, parere jubenti.
Est caro nota satis, quod habet nihil utilitatis.
Spiritus inde perit si corpus dulcia quærit.
Et dum vexatur caro, Spiritus alleviatur:
Cumq; relaxatur mortaliter ille gravatur.
Omne quod ostendo potes ipse videre legendo.
Indice scripturâ poteris cognoscere plura.
Vitam quærenti dat iter sacra lectio menti.
Accipe scriptorum frater documenta meorum,
Quæ tibi monstravi, quæ dulciter insinuavi.

Non

Non ea corde gravi teneas, sed pectore suavi,
Si te virtutis delectat, iterq; salutis.
Quicquid enim scripsi multum tibi proderit ipsi.
Nam rex cælestis, quem nil latet, est mihi testis,
Nil tibi narravi nisi quod prodesse putavi.
Nec ratio veri debet tibi dura videri,
Namq; per angustum dixi tibi currere justum.
Sic probus ascendit, dum semper ad arduz tendit.
Hunc facias cursum si vis ascendere sursum.
Fortasis puero tibi frustra dicere quæro
Justum sermonem, quia non capis hanc rationem.
Sed pater immensus det perspicuos tibi sensus,
Roboret ætatem, tribuatq; tibi probitatem.
Filius ergo Dei, spes nostræ progeniei,
Autor honestatis, fons perpetuæ bonitatis,
Virtutum flores, & honestos det tibi mores.
Spiritus amborum, qui tangit corda piorum,
Et sine verborum sonitu, sit doctor eorum,
Ipse tuam mentem regat, & faciat sapientem,
Recte credentem, monitus veros retinentem.
Ut bene vivendo, mandataq; sancta tenendo
Læticiam verè lucis merearis habere.
Quæ tenebras nescit, miroq; decore nitescit,
Et cuicunq; datur sine fine is lætificatur.
Hoc tibi det munus qui regnat, trinus & unus.

BERN. MORLA-NENSIS
LIBER PRIMVS
DE CONTEMTV MVNDI

HORA noviſſima, tempora peſſima ſunt vigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille ſupremus.
Imminet, imminet, ut mala terminet, æqua coronet,
Recta remuneret, anxia liberet, æthera donet,
Auferat aſpera duraq; pondera mentis onuſtæ,
Sobria muniat, improba puniat, vtraq; juſtè.
Ille pijſſimus, ille graviſſimus ecce venit rex.
Surgat homo reus, inſtat homo deus, à patre judex.
Surgite, currite ſimplice tramite, quotq; poteſtis.
Rex venit ocyus, ipſeq; conſcius, ipſeq; teſtis.
Dum licet, impia, dum vacat, omnia fluxa laventur,
Detur egentibus, alta parantibus ima parentur.
Imminet arbiter ille, fideliter expoſiturus,
Quæ dabit aut dedit, ad bona dux redit, ad mala durus.
Qui modo ſpernitur, ille videbitur imperioſus,
Intolerabilis, irrevocabilis, atq; animoſus.
Agmina ſobria dextra, nefaria læua tenebit,
Hinc reprobabilis ordo, probabilis inde manebit.
Hinc chorus impius, & neq; ſobrius audiet, Ite.

e manus rea, grex meus in mea regna venite.
Ibit in æthera concio dextera, præduce Christo.
Ibit ad inferaturba sed improba, debita alysso.
Crimine perdita, crimine dedita, turba gehennæ
Stat modo, tunc ruet, hic flat, ibi luet acta perennè.
Tunc sacra concio sacra creatio percipietis
Perpetuadia, credite, gaudia, qui modo fletis.
Grex renovabitur, ac removebitur à grege latro,
A veteri nouus, à reprobo probus, albus ab atro,
Hostia ab ensibus, agnus ab hostibus, hœdus ab agnis,
Pauperioribus astra petentibus, ima tyrannis.
Cedet ad æthera, qui flet; ad infera, qui malè gaudet.
Carnea gaudia, mens luet ebria, sobria plaudet.
Deniq; montibus altior omnibus vltimus ignis
Surget inertibus, ima tenentibus, astra benignis.
Flammaq; libera surget in aera, surget ad astra,
Diruet atria, regna, suburbia, delubra, castra.
Excoquet omnia sordc fluentia nunc elementa
Reddet & omnia luce nitentia, iam lue dempta.
Mundus habebitur, atq; novabitur ipse, sed alter,
Alter imagine, non & origine, non ibi pauper,
Non ibi debilis, aut homo flebilis, aut furor, aut lis,
Aut cibus, aut cocus, aut Venus, aut iocus, aut tumor, aut
Terra novabitur, & reparabitur orbis imago, (vir.
Quam modo polluit, obtinet, obruit ima vorago.
Terra patrum tegit ossa, dehinc erit vt paradisus,
Amplius, ut solet, incola non colet hanc, bove nisus.
Non erit amplius aeris ijsius ista figura,
Sed nive, nubibus, igne, tonitrubus, imbreq; pura.
Solis & orbita, lunaq; concita tunc sita stabunt,

Astra,

Astra, polus, mare circuitus dare non properabunt.
Omnia sidera, cœlica dextera clarificabit,
Sideribus dupla lux, tibi septupla sol radiabit.
Gens pia flens modo, tunc ita quamodo sol renitebit,
Doctaq; pectora, pulchraq; corpora prorsus habebit,
Pulchra, citissima, fortia, libera, delicioſa,
Sana, vigentia, jamq; carentia morte peroſa.
Abſolon indecor eſſet ibi decor & coma, nec non
Pes piger Aſael, & manus Iſrael, arida Samſon.
Nullaq; Cæſaris inſcia comparis illa facultas,
Et Salamonia nulla potentia, nulla voluptas.
Non Moyſes ibi ſana daret ſibi lumina, dentes,
Matuſalas breve viveret. Hæc bene quærite mentes,
Quærite, quærite, quærere ſurgite gaudia pura,
Gaudia ſtantia, non pereuntia, nec peritura.
Nonne patentia fert latro gaudia de cruce fiendâ.
Raptus ad affiua regna vel ardua ſceptra regenda.
Sunt ſua triſtia nullave gaudia juncta ſupernis.
Confer eis, ea nil fore gaudia terrea cernis,
Illa videbimus, illa tenebimus, illa ſciemus
Gaudia cœlica, qui modo lubrica ſingula flemus,
Omnibus omnia clauſa patentia perſpicientur:
Membraq; ſingula quomodo lumina conſtituentur,
Lumina ſobria, clauſa per omnia ſicut aperta
Aſpicient ibi, quippe Deus ſibi viſio certa.
Veſtra videbimus, & penetrabimus abdita noſtra,
Nilq; verebere probra pateſcere, fiendo repoſta.
Ille ſciet tua crimina, tu ſua, nilq; pudebit.
Gratia gratior huic, manus altior illa patebit.

Quo magis effera sunt tua vulnera, sive querela,
Tanto probatior & manifestior illa medela.
Clausa vel omnia tunc tibi pervia, nil erit obstans,
Scis bona fingere, plura lucrabere, vox mea constans.
Orbeq; fortior, ibis & ocyor alite visu,
Fortis habebere secula vertere non sine nisu.
Par superis eris, actibus hos geris, arte sequeris,
Et patris illius, ô sonus hic pius lore frueris.
Stans super æthera sub nigra tartara tuto videbis,
Mœsta, molestaq;, flenda, timendaq;, nulla timebis.
Turba nefaria perdita gaudia nunc procul ante
Iudicium videt, hinc flet & invidet impia sanctæ.
Flet quia plurima stat sibi lacrima, gaudia sanctis.
Flet quia decidit, illaq; perdidit ora tonantis.
Vt reprobam proba, sic modo reproba turba beatam
Mutuo conspicit, illaq; despicit hanc sibi stratam.
Pulcrior est olor ex merula, color albus ab atro,
Ex gemitu tonus, ex pice nix, bonus ex reprobato.
Nec bona filia matre sit anxia, nec patre natus.
Illa stat, hæc ruit, hic bona fert, luit ille reatus.
Vt placet æquore nunc tibi cernere ludere pisces.
Sic apud infera nec tua viscera visa gemisces.
Curre vir optime, lubrica reprime, præfer honesta,
Fletibus angere, flendo mereberis cœlica festa,
Luce replebere iam sine vespere, iam sine luna.
Lux nova, lux ea lux erit aurea, lux erit una.
Cum sapientia sive potentia patria tradet
Regna patri sua, tunc ad eum tua semita vadet.
Tunc nova gloria pectora sobria clarificabit.

Solvet

Solvet ænigmata, veraq; subbata continuabit,
Liber ab hostibus & dominantibus ibit Ebram,
Liber habebitur & celebrabitur hinc jubilæus,
Patria luminis, inscia turbinis, inscia lucis,
Cive replebitur, amplificabitur Israhelitis.
Patria splendida, ver aq; florida, libera spinis
Danda fidelibus est ibi civibus, hic peregrinis,
Tunc erit omnibus inspicientibus ora tonantis
Summa potentia, plena scientia, pax pia sanctis.
Pax erit omnibus illa fidelibus, illa beata,
Irrevocabilis, invariabilis, intemerata.
Pax sine crimine, pax sine turbine, pax sine rixa,
Mota laboribus atq; tumultibus, anchora fixa,
Pax erit omnibus unica, sed quibus? immaculatis,
Pectore mitibus, ordine stantibus, ore sacratis.
Pax ea pax rata, pax superis data, danda modestis
Plenaq; vocibus, atq; canoribus atria festis.
Hortus odoribus affluet omnibus hic paradisus,
Plenaq; gratia, plenaq; gaudia, cantica, risus,
Plena redemptio, plena refectio, gloria plena,
Et lux luctibus aufugientibus, exule pœna.
Nil ibi debile, nil ibi flebile, nil ibi scissum,
Res ibi publica, pax erit unica, pax in idipsum,
Hic furor, hic mala schismata, scandala, pax sine pace,
Pax sine litibus, & sine luctibus in Sion arce.
O sacra potio, sacra refectio, visio pacis,
Mentis & unctio, gratiaq; punctio ventris edacis.
Hac homo nititur, ambulat, vtitur, ergo fruetur
Pax rata, pax ea spe modo, postea re capietur.

Resur-

Iesus erit pius, & decor illius esca beatis,
Pascua mentibus, hanc sitientibus ac satiatis.
Et sitiens eris, & satiaberis hac dape vitæ.
In neutro labor vna quies, amor vnus vtriq;.
Civibus ætheris associaberis advena, civis.
Hic tuba, pax ibi, tuta manens tibi qui bene vivis.
Hic erit omnibus vna fidelibus ultima cœna.
Tunc cumulabitur atq; replebitur vna sagena,
Deniq; piscibus integra pluribus, integra magnis
Glorificabitur, hic removebitur angvis ab agnis,
Sciſſa ruentibus, integra ſtantibus integritate.
Inde cremabitur, hinc ſolidabitur, ô Deus á te,
Gens nova grex nouus, & numerus bonus ille bonorum.
Ierusalem petet, hic dat, ibi metet ordo piorum.
Grex erit inclitus hoc patre præditus, hoc duce nixus.
Qui tulit omnia sangvine noxia rex crucifixus.
Grex sacer ordine, ſplendidus agmine, lumine plenus,
Vivet eo duce, qui tulit in cruce, rex Nasarenus,
Paſſus odoribus interioribus, atq; ſuperno
Nectare dulcia protrahet ocia perpete verno.
Per sacra lilia, perq; virentia germina florum
Exſpaciabitur & modulabitur ordo piorum.
Pectora plauſibus atq; canoribus ora parabit,
Cum ſua crimina, lapſaq; priſtina ſtans memorabit.
Quo fuit amplior error, iniquior actio mentis;
Laus erit amplior, hymnus & altior hanc abolentis.
Vnica cantio tunc miſeratio plena tonantis,
Laus erit vnica pro ſtipe cœlica præmia dantis.
Pro ſtipe præmia, pro cruce gaudia, pro nece vita,

Illa

Illa tenebitur, vnde replebitur Israhelita.
Hic brevè vivitur, hic brevè plangitur, hic brevè fletur.
Non breve vivere, non breve plaudere, retribuetur.
O retributio! stat brevis actio, vita perennis.
O retributio, cœlica mansio stat sine pennis.
Quid datur? & quibus, æther egentibus, & cruce dignis
Sidera vermibus, optima sontibus, astra malignis?
Cœlica gratia criminis omnia non modo donat,
Sed super æthera fulgida viscera tanta coronat.
Omnibus unica cœlica gratia retribuetur,
Omnibus omnibus vlcera flentibus accipietur.
Tunc rosa sanguine, lilia virgine mente micabunt,
Gaudia maxima te pia lachryma te recreabunt.
Nunc tibi tristia, tunc tibi gaudia, gaudia quanta!
Vox nequit edere, lumina cernere, tangere planta.
Post nigra, post mala, post fera scandala, quæ caro pra
Absq; nigredine lux, sine turbine pax tibi restat. (stat
Sunt modo prælia, postmodo præmia, qualia? Plena.
Plena refectio, nullaq; passio, nullaq; pœna.
Spe modo vivitur, & Sion angitur à Babylone,
Nunc tribulatio, tunc recreatio, sceptra, corona
Ergo Rachel Lea, tunc patriæ via, Martha Mariæ,
Ira Saul Dauid, Assyrij Iudith, Achab Eliæ
Cedit, & omnia mitibus obvia, species speciei,
Semina fructibus, & sonus actibus, vmbra diei.
Qui modo creditur, ipse videbitur, atq; scietur.
Ipse videntibus, atq; scientibus attribuetur.
Plena refectio, tunc pia visio, visio Iesu
Hic speculabitur, hic satiabitur Israel esu,

Hoc

Hoc satiabitur, hic sociabitnr in Sion arce.
O bone rex, ibi nullus eget, tibi dicere parce.
Cor miserabile, corpus inutile non erit vltra,
Nulla cadavera, nullaq; funera, nulla sepulcra,
Quodq; beatius est, mala longius omnia fient,
Ob tua crimina jam tua lumina non madefient.
Flendaq; gaudia blandaq; prælia carnis abibunt,
Fraus, probra, iurgia, quid moror? omnia praua peribunt,
Nulla gravamina, iam cruciamina nulla timebis:
Nulla nefaria, nulla nocentia, nil grave flebis.
Quæ cruce se terit, hæc caro flos erit, hæcq; fauilla
Non erit amplius, vnde sit anxius ille vel illa.
Nec stipe pascere, nec prece flectere quem quis egebit,
Nec lue perditus, aut nece territus, aut cruce flebit.
Flendo merebere gaudia sumere, sumere vitam,
Nec stipe, nec prece, nec lue, nec nece, nec cruce tritam.
Calica copia, calica gloria, cum patre fiet
Lux nova mentibus, & Deus omnibus omnia fiet.
Mens beneuivida, vitaq; florida, fons dedit vndas,
Lux erit aurea, terraq; lactea, mella redundans.
Lux ea vespere, gens lue, funere vita carebit.
Iesus habebitur, ipse tenebitur, ipse tenebit.
Lux erit illius, illius vnius esca benignis,
Absq; cibo cibus, his propriè quibus est cor ut ignis,
Hunc speculabimur, & saturabimur hunc speculando,
Cum chorus infimus, astra replebimus, agmine sancto.
Spe modo nitimur, verbere pascimur hic, ibi pane.
Nox mala plurima dat, dabit intima gaudia mane,
Gaudia passio, regna redemptio, crux sacra portum.

Lachryma

Lachryma plaudere, pœna quiescere, terminus ortum.
Iesus amantibus afferet omnibus alta trophæa.
Iesus amabitur, atq; videbitur in Galilæa,
Mane videbitur, umbra fugabitur, ordo patebit,
Mane nitens erit, & bona qui gerit ille nitebit.
Tunc pia sentiet auris, & audiet, ecce tuus rex,
Ecce Deus tuus, ecce decor suus hic stat, abit lex.
Pars mea, rex meus, in proprio Deus ipse decore
Visus amabitur, atq; videbitur auctor in ore.
Tunc Iacob Israël, & Lea nunc Rachel efficietur.
Tunc Sion atria, pulchraq; patria perficietur.
O bona patria, lumina sobria, te speculantur,
Ad tua nomina, sobria lumina collachrymantur.
Est tua mentio pectoris unctio, cura doloris:
Concipientibus æthera mentibus ignis amoris.
Tu locus unicus, illeq; cœlicus es Paradisus,
Non ibi lacryma, sed placidissima gaudia, risus.
Est ibi consita laurus, & insita cedrus hysopo,
Sunt radiantia jaspide mœnia, clara pyropo.
Hinc tibi Sardius, inde Topazius, hinc Amethystus,
Est tua fabrica concio cœlica, gemmaq; Christus,
Lux tua mors crucis, atq; caro ducis est crucifixi,
Laus, benedictio, conjubilatio personat ipsi.
Dos tibi florida, gemmaq; lucida rex Nasarenus,
Iesus homo Deus, annulus aureus, ortus amœnus,
Ianua janitor, ipseq; portitor, ipseq; portus,
Ipse salutifer est tibi lucifer, arrha vir ortus.
Tu sine littore, tu sine tempore, frons modo vivus,
Dulce bonis sapis, estq; tibi lapis undiq; vivus.

Ipse tuus Deus est lapis aureus, est tibi murus
Inviolabilis, insuperabilis, haud ruiturus.
Est tibi laurea, dos datur aurea, sponsa decora,
Primaq; principis oscula suscipis, inspicis ora.
Candida lilia, viva monilia sunt tibi sponsa,
Agnus adest tibi sponsus, ades sibi tu speciosa,
Pax tua præmia, conditor atria, crux sacra portæ,
Ars tua plaudere, munera vivere jam sine morte.
Tota negotia cantica dulcia, dulce tonare,
Tam mala debita, quàm bona præbita conjubilare.
Sors tua gaudia sine carentia, nil dare triste;
Lex tua psallere, gloria dicere, laus tibi Christe,
Vrbs Sion urbs bona, patria consona, patria lucis,
Ad tua gaudia corda soles pia ducere, ducis.
Ierusalem pia patria, non via, pulcra platea,
Ad tua munera fit via dextera Pythagoræa,
Vrbs Sion aurea, patria lactea, cive decora,
Omne cor obruis, omnibus obstruis & cor & ora,
Nescio, nescio, quam jubilatio, lux tibi qualis,
Quam socialia gaudia, gloria quam specialis.
Laude studens ea tollere, mens mea victa fatiscit.
O bona gloria vincor, in omnia laus tua vicit;
Sunt Sion atria conjubilantia, martyre plena,
Cive micantia principe stantia luce serena.
Sunt ibi pascua mitibus affluа, præstita sanctis,
Regis ibi tonus, agminis & sonus est epulantis.
Gens duce splendida, concio candida vestibus albis,
Sunt sine fletibus, in Sion ædibus, ædibus almis,
Sunt sine crimine, sunt sine turbine, sunt sine lite,

In Sion arcibus editioribus Israhelitæ.
Pax ibi florida, pascua vivida, viva medulla.
Nulla molestia, nulla tragœdia, lacryma nulla.
O Sacra potio, sacra refectio, pax animarum,
O bonus, ô pius, ô placidus sonus, hymnus earum.
Sufficiens cibus est Deus omnibus ipse redemptis,
Plena refectio, propria visio cunctipotentis.
Eius habent satis, his tamen est sitis ejus anhela:
Absq; doloribus, absq; laboribus, abq; querela.
Huic, magis, huic minus, ille patens sinus est deitatis.
Plurima mansio, stat retributio plurima patris.
Luna minoribus ante fit ignibus, & sibi Phœbus.
Præest ea noctibus, atq; fretantibus ille diebus.
Cernis in æthere plus remitescere sidere sidus:
Sic mediocria, summaq; præmia credito fidus.
Vrbs Sion inclyta, gloria debita glorificandis,
Tu bona visibus interioribus, intima pandis,
Intima lumina, mentis acumina te speculantur.
Pectora flammea spe modo, post ea sorte lucrantur.
Vrbs Sion unica, mansio mystica, condita cœlo,
Nunc tibi gaudeo, nunc tibi lugeo, tristor, anhelo,
Te, quia corpore no queo, pectore sæpe penetro.
Sed caro terrea, terraq; carnea, mox cado retro.
Nemo retexere, nemoq; promere sustinet ore,
Quo tua mœnia, quo capitolia plena nitore.
Id queo dicere, quomodo tangere pollice cœlum,
Vt mare currere, sicut in aëre figere telum.
Opprimit omne cor ille tuus decor, ô Sion, ô pax,
Vrbs sine tempore, nulla potest fore laus tibi mendax,

O nova manſio, te pia concio, gens pia munit,
Provehit, excitat, auget, identitat, efficit, unit.
Te Deus expolit, angelus incolit, incolit ordo;
Cui cubus additur, & ſonus editur à decachordo.
Florida vatibus, aurea patribus es duodenis,
Clara fidelibus eſurientibus hic, ibi plenis.
Sunt tibi lilia, pura cubilia virginitatis,
Eſt roſa ſanguine, purpura lumine ſobrietatis,
Teq̃ patrum chorus ornat, habet torus immaculatus,
Sacraq̃ victima, ſacraq̃ lacryma, pœna reatus.
Rex tibi præſidet, & tua poſſidet atria magnus,
Qui patris unicus eſt leo myſticus, & tamen agnus.
Rex tibi filius unicus illius ille Mariæ,
Stirps ſacra virginis, auctor originis, oſq̃ Sophiæ.
Hic ſapientia, linguaq̃ patria, patria dextra,
Continet arbiter, omnia ſub, ſuper, intus & extra.
Aſtra regit Deus, aſtra cinis meus audet in illo,
Qui quaſi propria continet omnia, facta pugillo.
Cum patre filius, atq̃ paraclitus æquus utriq̃
Omnia continet, omnibus eminet, omnis ubiq̃.
Hunc bene quærimus, ergo videbimus, immò videmus,
Hunc ſpeculabimur, haud ſatiabimur, hunc ſitiemus
Cernere jugiter, atq̃ perenniter ora tonantis.
Dat lucra jugia, perpetualia, dat lucra ſanctis.
O ſine luxibus, ô ſine luctibus, ô ſine lite,
Splendida curia, florida patria, patria vitæ.
Vrbs Sion inclyta, patria condita littore tuto,
Te peto, te colo, te flagro, te volo, canto, ſalato.
Nec meritis peto, nam meritis mete morte perire,

Nec re-

Nec reticens tego, quod meritis sim ego filius iræ.
Vita quidem mea, vita nimis rea, mortua vita,
Quippe reatibus exitialibus, obruta, trita.
Spe tamen ambulo, præmia postulo, spe q3 fide q3,
Illa perennia postulo præmia nocte die q3.
Me pater optimus atq3 pijssimus ille creavit,
In lue pertulit, ex lue sustulit, à lue lavit.
Spes mihi plurima, spes validissima stat, stet in ipso,
Qui sua lumina post tua crimina præbet abysso.
Cum sua suppleo robora, gaudeo, dum mea, ploro,
Cum sibi gaudeo, tum mihi desleo, flere laboro,
Dum sua cogito viscera, sentio gaudia cordis,
Dum mea sordida mens jacet algida, conscia sordis.
Magna potentia, maxima gratia laxet iniquo,
Magna piacula, maxima vincula dæmone victo,
Gratia cœlica sustinet unica totius orbis
Parcere sordibus interioribus, unctio morbis,
Diluit omnia cœlica gratia, fons David undans
Omnia diluit, omnibus affluit, omnia mundans.
O pia gratia, celsa palatia cernere præsta,
Vt videam bona, festaq3 consona, cœlica festa. (fanum
Non animo coquar, aut sequar, aut loquar omne pro-
Iungar habentibus æthera civibus, & sequar agnum.
Sim lue pectoris intro carens, foris hoste, labore,
Frigore, grandine, carne, libidine, morte, timore.
O sine crimine, vel sine turbine, patria cœli,
Terreus ardeo, plus loquar, audeo mente fideli,
O mea spes, mea tu Sion aurea, clarior auro,
Agmine splendida, stans duce florida perpete lauro.

O bona patria, num tua gaudia, teq; videbo?
O bona patria, num tua præmia plena tenebo?
Dic mihi flagito, verbaq; reddito, dieq;, videbis.
Spem solidam gero, remne tenens ero? dic, retinebis.
Plaude cinis meus, est tua pars Deus, ejus es & sis.
Rex tuus est tua portio, tu sua, ne sibi desis.
Mens mea, mens rea, non tibi pars ea jam rapietur,
Est tibi lacryma, pars erit optima, posce, feretur,
Optima portio, plena refectio, pax rata mentis,
Visio numinis, oraq; luminis omnipotentis.
Hinc sitis intima, sanctaq; lacryma spirat, anhelat,
Flendo sit hostia, flet sua noxia, flendoq; velat
Membra gravans gravat, acta, cor, os lavat omnibus æ-
Despicit extima, pulsat ad intima, nocte dieq; (què
Se flet & improbat, angit, agit, probat, est sibi fornax,
Flendo cor excitat, atq; reclamitat, ô Sion, ô pax.
Est lacrymantibus, esurientibus, exanimatis,
Pneuma refectio, vivificatio, visio patris.
O sacer, ô pius, ô ter & amplius ille beatus,
Cui sua pars Deus, ô miser, ô reus hac viduatus.
Omnis & unica gloria cœlica, conditor unus,
Muneris est dator, ille poli sator, ipseq; munus,
Cor fovet illius, illius unius ora videre,
Agmina cernere, præmia sumere, lumen habere.
Gens pia vocibus, impia gressibus, invida morum,
Cur male vivitis, & bona perditis illa bonorum?
Gens adamantina, saxea germina, gramina dura,
Quid bona spernitis, atq; requiritis interitura,
Gens male provida, turbaq; turgida, turbine mortis,

Gens

Gens foris actibus, introq; cordibus orba retortis,
Quid retrocedatis, illaq; spernitis intima dona?
Manna relinquatis, atq; recurritis ad Pharaona.
Cur ea quæritis, unde peribitis, unde ruetis?
Cur pereuntia sine, ruentia morte tenetis?
Turba theatrica, turba phrenetica quo properatis?
Quo rea pectora, quo rea corpora præcipitatis?
Quid rogo spernitis atque requiritis ire retrorsum?
Perdita gens satis, ad scelus os datis, ad bona dorsum.
Fluxa manentibus, obruta stantibus, ultima primis
Cur homo præficis, altaq; despicis, omnia in imis?
Surge, revertere, tende resurgere, tende reverti,
Pande reum reus, ultor adest Deus, ultor operti.
Detege vulnera, detege funera quatriduana,
Vulnera detege, flendaq; contege, percute, sana,
Gens Babylonia surgite noxia gaudia flere,
Flenda repellere, pulsaq; tergere, tersa cavere.
Hora novissima, lux venit ultima, crimine torrens,
Grata sed effera, blanda sed aspera, clara sed horrens.
Immmet ultio, mors tribulatio, qualis amara,
Luxq; jacentibus, evigilantibus horrida clara.
Qui modo sustinet, arbiter imminet ille, sed ille
Versibus editur, ore retexitur ipse Sibyllæ.
O tremor omnibus igne ruentibus, his quoq; cœlis
Rex venit ocyus, hunc tremet impius, atq; fidelis,
Hoc duce præmia, judice gloria percipietur,
Hoc quoq; vindice, fraus ruet indice, culpa scietur,
Mitis atrocior, agnus acerbior, alter at idem
Ipse videbitur, & fumulabitur æther eidem.

Ætherǔ agmina, summaq́ culmina concutientur.
Æther, humus, mare tunc sonitum dare conspicientur.
Celsa cacumina sunt simul agmina celsa movenda.
Summa vel infera, sol, mare, sidera concutienda,
Qui modo conticet, ut bene judicet, ille tonabit,
In mala rugiet, in mala sæviet, in mala stabit.
Blandus amantibus, efferus hostibus aspicietur.
Hinc revocabilis, intolerabilis inde feretur.
Vnius ipsius, his gravis, his pius (ó stupor ingens.)
Vultus habebitur, his miserebitur, illa refringens.
Longanimis, bonus, ille ferens onus hic reproborum,
Tunc mala puniet, ipseq́ muniet acta bonorum.
Hunc meritum teret, hunc pietas feret unica patris,
Nec sibi debita, sed sibi præbita gratia gratis.
Cum via sordeat, actio langueat, una duorum:
Hic reprobabitur, ille merebitur alta polorum.
Cum via lubrica, cum sit & unica causa duobus,
Alter amabitur, alter habebitur hostis & orbus,
Plurima pluribus immo vel omnibus hic fit abyssus.
Quod bene sumitur, hic bene pellitur, ille remissus,
Impenetrabilis, irreserabilis, hic labyrinthus.
Nos bona corporis aspicimus foris, auctor at intus.
Corda Deus pia scit, negat impia, justus utriq́.
Quisq́ tremat sibi, gaudeat & tibi gratia quisq́,
Quisq́ scelus fleat, atq́ tremens eat, & tremebundus.
Cras ruet ordine, qui stat in agmine nunc quasi mundo
Omnia qui regit, hos premit, hos legit omnipotens Rex.
Est hominis via nunc mala, cras pia, nūc rosa, cras fex,
Mox rosa fit rubus, ipseq́ cras lupus hæret ovili,

Os ho-

Os homo, cor Deus inſpicit, eſt reus huic, bonus illi.
Facta tremat ſua quisq;, Deus tua viſcera fidit,
Fidit & impia, fidaq; gaudia flendo relidit.
Ludite, ludite, corpore ſoſpite gens Babylonis,
Ludite cordibus, ad bona ſegnibus, ad mala pronis.
Lux venit ultima quæ procul optima veſtra fugabit,
Veſtra palatia, gazophylacia veſtra cremabit.
Rex veniet pius, & furor ipſius, abſq; furore,
O tremor intimus, his rigidiſſimus, his pius ore.
Virga ruentibus ordine mentibus. adveniet rex,
Stantibus ordine mitior, & ſine judice judex,
Iudicium tulit, eſſeq; pertulit ante Pilatum,
Iuſtus id exeret, id tulit, inferet id toleratum
Virgine rex ſatus, ipſe dator datus, ipſe patebit.
Cur morulas paro carne ſatus? caro cuncta videbit,
Turba nefaria cernet & impia, quem crucifixit,
Cui bene vocibus improperantibus heu maledixit.
Fructus in horrea tendit, & area diſcutietur,
Sumet in omnia ſecula gaudia cui modo fletur.
Gens ruet impia, pars Babylonia nata perire,
Cedet ad æthera pacis, ad infera filius iræ.
Tunc cumulabitur, atq; replebitur illa gehenna,
Agmine criminis atq; libidinis, agmine plena.
Huic ibi mitius, huic erit acrius, hinc fuga nulla.
Deinde remiſſio, ſive redemptio non erit ulla.
Hic mala plangite, cætera quærite vos genus Evæ,
Hic dolor utilis, ordo parabilis hic, ibi væ væ.
Fraus ibi vapulat, & timor ejulat, at ſine fructu.
Flet petulantia, luget inertia, perpete luctu.

Cur variabile mœret inutile, plorat amarum,
Fit sine re, sine spe, sine nomine gens tenebrarum.
Quos Veneris modo pessima postmodo flamma gehennæ
Torret, agit, terit, his furit, his ferit ultio pœnæ.
Pectora crimine, membra libidine, torrida torret,
Falsi loquos premit, in tumidos fremit, omnibus horret,
Innovat & necat, integrat & secat, ut moriantur
Non morientia corpora, stantia non statuantur.
Frigus ut ardeat, ignis ut algeat, idq; petatur.
Hunc fugientibus, hunc repetentibus id fugiatur.
Mors ibi plurima, flamma nigerrima, lux tenebrosa.
Singula tangere non pede paupere, non queo prosâ.
Vt nequit edere vox, homo promere læta bonorum;
Sic nequit edere vox, homo promere mœsta malorum.
Cui dolus est modo, tortio postmodo dura doloris,
Tortio turpia mentis, & impia puniet oris,
Vt flagra scilicet ultio duplicet, ut mala dextra
Pectora devoret, ossaq; perforet intus & extra.
Audiat hoc pius, ut stet, & impius, ut cito surgat.
Stare timor creat, hunc q; statu beat, hunc lue purgat.
Pœna jacentibus inferet auribus ultima sensum,
Veraq; lachryma, plectet ad ultima cor reprehensum,
Quos scelus alligat hic, ibi colligat ultio plectens,
Mollia mollibus, improbioribus improba nectens.
Nunc levis actio, tunc ligat ultio sordidiores.
Sordidioribus, improbioribus improbiores.
Criminis agmina quomodo sarcina stricta ligantur,
Et quia sunt sine fructificamine, ligna cremantur.
Sunt sine fructibus interioribus, arida ficus,

Ramus

Ramus inutilis, igne cremabilis, utpote siccus.
Sunt caro terrea, terraq; carnea, grex reproborum,
Prava creatio, mixta ligatio fasciculorum.
Postmodo fletibus, hic modo risibus excipiuntur.
Mortis in ignibus, inq; doloribus haud moriuntur.
Quanta q; crimina sunt, cruciamina tanta malignis,
Cum mala plurima, tum duo pessima frigus & ignis,
Sed neq; lenius est, neq; mitius illud ab isto,
Corpora, cordaq; crux premit; utraq; vindice Christo.
Temporis hic focus, est ad eum jocus, umbraq; dictus,
Est levis ignibus iste perennibus, & quasi pictus.
Hic ita plurimus, hic ita maximus ignis habetur,
Vt neq; fluctibus æquoris omnibus opprimeretur.
Frigora sunt ea tanta, quod ignea sarcina montis
Inde gelasceret. Hæc mala perferet actio sontis,
Lumina, tempora, frons, labra, pectora, viscera, mammæ,
Os, gula, mentula, cruraq; pabula sunt ibi flammæ.
Flent ibi lumina, flent sua crimina transita pridem,
Fœtor & horridus, & grave fœtidus horror ibidem.
Visio dæmonis, illaq; Gorgonis ora rigescunt,
Omnibus omnia fœda vel impia facta patescunt.
Gens mala vermibus haud morientibus instimulatur,
Atq; draconibus igne flagrantibus excruciatur.
Vermis in ignibus ille realibus est ita vivens,
Sicut in æquore piscis, & hic fore sic lego scribens.
Crux, flagra, malleus, ignis & igneus est ibi torrens.
O caro, nox ibi densa manet tibi, lumen abhorrens,
Nox simul omnibus est habitantibus in regione
Mortis. homo geme, plange, dole, treme, terrea pone.

Ignea

Ignea vincula deniq; singula membra catenant,
Corpora lubrica, membraq; scenica vincula frenant.
Stat cruce triplice gens rea, vertice mersa deorsum
Ora tenet sua, dorsa simul sua versa retrorsum,
Sunt super horrida, nam lue sordida, crura, pedesq;
Inferius caput, hæc mala sunt apud infera certè.
Gens rea plangite, non ego, credite, talia fingo.
Hæc noto paucula, non scio singula, plura relinquo.
Sermo ratus meus, in clibanum Deus ignis iniquos
Ponet, id astruit, hos David innuit orbis amicos.
Collige mens mea, quam gravis est ea flamma furoris,
Hic clibani calor, haud clibani valor esse caloris.
Voluito pectore cur clibanus fore dicitur ignis.
Mens vaga, mens pigra, disce timens nigra parta ma-
Si mala suggeris hic, ibi redderis ipsa tibi fax, (lignis,
Ipsa cremans eris, ipsa cremaberis ignea fornax.
Heu lachrymabile, væ miserabile mens rea clama,
Non ibi lucida crede, sed horrida, sed nigra flamma.
Quæ tamen emicat, ac mala duplicat igne micante,
Nam patet huic tua pœna, tibi sua luce nigrante,
Vltio pectora frigore, corpora concremat igne,
Vtraq; pars ruit in scelus, hoc luit utraq; digne.
Quod gravioribus iste reatibus est cruciatus,
Dicit homo Deus, illaq; Iob meus, ille probatus,
Qui male præminet, ultroq; sustinet interiores,
Vt Deus astruit, in tenebras ruit exteriores,
Hic nisi fles, ibi fletus erit tibi, dentiq; stridor,
Fumus ab ignibus hunc creat editus, hunc gravis algor,
Sana probatio, quod cruciatio, frigoris ignis,

Sic

Sit pereuntibus, atq; luentibus acta malignis.
Iob quoq; pagina, si sacra carmina Iob bene signes.
Hos ait, incitus à nive transitus, urget ad ignes.
Testis & hic ratus, ergo styli latus est mihi tectum,
Rege, satellite, principe, milite, quod bene septum.
Quomodo præmia, sic flagra jugia, regna piorum
Regna perennia, perpetualia flagra malorum.
His decor amplior, his dolor auctior, est sine fine.
Pars habet æthera, perditur altera strata rumæ.
Corpora lubrica, corda tyrannica percruciantur.
Frigore grandinis hæc, face fulminis illa cremantur.
Arctat, arat, terit, angit, agit, ferit illa gehenna,
Vi, cruce, pondere, frigore, verbere, perpete pœna.
Est ibi, credite, crux sine stipite, mors sine morte.
Vox sine carmine, lux sine lumine, nox sine nocte,
Non ibi publicus arbiter Æacus, aut Rhadamanthus,
Non ibi Cerberus, aut furor inferus, ultio, planctus.
Non ibi navita, cymbaq; prædita voce Maronis.
Sed quid? adustio, nox, cruciatio, mors Babylonis.
Non tenet Orphea, lex data Typhea fortia lora,
Non lapis hic gravis, aut lacerans avis interiora.
Pœna nigerrima, pœna gravissima, pœna malorum
Mens male conscia, cordaq; noxia, vermis eorum.
Cæditur invida mens, caro sordida, membraq; lena,
Perpete vulnere, perpete sulphure, perpete pœna.
Assur ibi tremit, & sua gens gemit, esca draconis,
Post sua lilia perdita, filia flet Babylonis.
Quam male florida, quam sibi fulgida, quã fletit aucta,
Tam modo marcida, tam jacet horrida, tam labefacta.

Et me-

Et meretrix ea, facta sibi Dea, plena venenis,
Subdita sordibus extitit omnibus, est quoq; pœnis.
Dulce mel illius, immo fel ipsius ordo biberunt,
Qui modo lubrica, sive volatica gaudia quærunt,
Qui pereuntia lucra, ruentia regna, perenni
Ante ferunt malè, qui fatuo sale sunt sibi pleni.
Vina cupidinis, atq; libidinis illius hausit,
Turba nefaria, cui Babylonia sydera clausit.
Vertitur alea, quam fuit antea deliciata,
Tam cruciatibus asperioribus est modo strata.
Quid modo noscitur, aut fore cernitur? illa favilla,
Illa peraruit, illaq; corruit, & ruit illa.
Illaq; Iezabel, illa tonans Babel ore rebelli
Ivit in infera, plaudite sydera, psallite cœli.
Quæ male creverat, auctaq; dixerat, est meus orbis,
Se quoq; perdidit, occidit, occidit in loca mortis.
Terra profundior, ac tenebriosior est ea terra.
Gens ibi flet rea, sed nimis est ea lacryma sera.
Terra nigredine, terraq; turbine mortis operta,
Mors ibi plurima, certaq; lachryma, passio certa.
Illa tragœdia durat in omnia secula, durat,
Cum dolor ubera, tortio viscera, flamma cor urat.
Clamor ibi tacet, horror ibi jacet, umbraq; mortis,
Fert ibi crimina, fert cruciamina fortia fortis,
Corda potentia sunt patientia flagra potenter.
Ardet edax gula, linguaq; garrula, crapula, venter,
Tortio plurima constat, & intima pœna malignis,
Plurima tortio, plurima passio, plurimus ignis
Undat ibi niger ignis & impiger excruciare,

Corda

Corda nefaria, luxuriantia membra cremare.
Nox mala duplicat, & stygis emicat olla vaporans,
Flamma nigerrima torret & intima nil ibi rorans.
Planctibus insonat, ignibus intonat unda camini.
Nonea tristia, non querimonia subdita fini.
Ignea flumina, nigra volumina flamma retorquet,
Brumaq; torrida, flammaq; frigida pectora torquet.
Vermis edax scatet, & puteus patet altus abyssi.
Sunt ibi pectore, sunt ibi corpore quiq; remissi.
Ludite, vivite fœnore divite, gens aliena,
Vos caro decipit hic, ibi suscipit illa gehenna,
Non ibi visio, non ibi mansio luce repleta,
Non locus ordinis, aulaq; luminis, aruaq; læta.
O Maro falleris, hic ubi conseris arua piorum.
Elysios tibi non reperis ibi scriptor eorum,
Musa Poetica, lingua scholastica, vox theatralis,
Hæc quia disseris, & malè falleris, & malè fallis.
Fulgurat ignibus haud radiantibus illa gehenna,
Plena nigredine, plenaq; turbine, plenaq; pœna.
Plena libidinis, ac vittaminis est famulabus,
Exilientibus hinc, recidentibus hic animabus.
Quos vomit hos vorat, undiq; perforat, undiq; pestes,
Vitaq; mortibus est venientibus una superstes.
Vritur inguinis, atq; libidinis ignis in igne,
Vritur, uritur, ista rependitur ultio dignè.
Qui malè tollitur hic, ibi plectitur actus ad imum,
Tunc loca pessima, tunc tenet imfima, qui modo primũ,
Qui laniat, capit, excruciat, rapit hic, capietur,
Dilaniabitur, excruciabitur, & rapietur.

Quos

Quos modo fictio, tũc premit ultio, quos probra, mœror,
Quos Venus ustio, quos gula tortio, quos lucra terror.
Dum licèt auribus hæc vigilantibus accipiatis,
Qui lucra conditis, in lucra curritis, ad lucra statis.
Gens cita pascere viscera viscere, carneq́, carnem,
Qui tumidi satis exiguis datis heu neq́ panem.
Est modo Lazarus hic, ibi tartarus. & gula pridem
Ebria pastibus, ebria potibus ardet ibidem.
Dives obit sine spe, sine nomine, dives egenus.
Nomine Lazarus unde flet, inferus est modo plenus.
Dives aquam petit, esuriens metit ubera plena,
Gratia fletibus, ebrietatibus est modo pœna,
Post sua funera dives ad infera, pauper ad astra.
Qui flet in ulcere, gaudet in æthere, flet gula pasta.
Stillula quæritur, & gula panditur, oraq́ sicca,
Non data stillula, cur? quia parvula non data mica.
Qui minus haud dedit, ad minimum redit ille petendũ,
Ad phialas fletit, & fluvium petit haud tribuendum.
Gratificans ape vina, dapes dape, vesteq́ vestes,
Fert cruciamina, fert sua crimina, fert modo pestes.
Flos ruit & decus in stygium specus, in specus atrum.
Flos quasi flos fuit, cecidit, ruit ad cruciatum.
Cui fuerat minus hic Abrahæ sinus, huic paradisus,
Cui magis, ustio, lacryma, tortio, pœnaq́ risus.
Nunc ubi pallia? nunc ubi prandia? nunc ubi cœna?
Pallia, prandia sunt fugientia, stat sibi pœna.
Purpura transijt, escaq́ finijt, ultio restat,
Restat, & acriter immo perenniter illa molestat.
Flamma, fames, sitis, ultio divitis extat egentis,

Pro

Pro sue, pro grue, pro dape, pro lue, pro face ventris.
Grus, lepus, ostrea, vel caro taurea juncta suillæ,
Faxq; cupidinis, alea criminis, & jocus ille,
Maneq; prandia, fera cibaria præterîere.
Luce tyrannica, nocteq; lubrica facta ruêre.
Ille vir affluus, ille vir efferus, illeq; multus
Est apud infera, fert uti littera sacra, sepultus.
Aure capessite, mente recondite talia dites,
Tollite saucia, ferte jacentia, pascite mites,
Hos stipe pascite, qui prece divite nos bene pascant,
Ne vel egentia, vel sitientia membra labascant.
Condite mentibus, edite moribus, edite factis,
Quæq; fides pia clamat, amat via sobrietatis.
Mente reponite, vocibus edite, reddite rectum,
Sitis egentibus esca, viantibus atria, tectum.
Vos date vestraq;, vult Deus utraq;, gaudet utrisq;,
Se domino, sua pauperibus lucra det bene quisq;.
Multa quid astruo? jam simul instruo vos ego mecum.
Demus egentibus ima, gerentibus optima secum,
Qui dedit omnia Christus ad ostia nostra gemiscit,
Indiget, ejulat, ultima postulat, huic date dicit.
Nemo dat, indiget ergo, quod exigit ipse negatum.
Tollimus ebria gens, modo gaudia, post cruciatum.
Ecce peculia, lucraq; grandia condis avare,
Nec numerum geris hic, quia pauperis est numerare.
Impia bestia, cernis ad ostia plangere Christum,
Esurientibus & sitientibus hic modo mistum,
Hinc tibi Lazarus, indeq; tartarus, hoc fugis illum.
Pasce, fer, aspice, ne reus abijce corde pupillum.

Terrea tu fibi, pauper homo tibi cælica præſtat.
Pane Deum dabit, hic obit, hic abit, hic tibi reſtat.
Terrea gloria, terrea copia plena favillæ,
Gloria corruit, & ſtatus aruit illius ille.
Audiat auribus interioribus, audiat orbis,
Orbis vt orbita vertitur incita turbine mortis.
Præterit & perit, & nebulam gerit orbis amœnum.
Tollitur ocyus ipſe vel ipſius omne ſerenum.
Orbis honor leuis eſt atomus breuis, & breue feſtum,
Nil dat amabile, nil amat vtile, ridet honeſtum.
Hoſteq; pectoris, hoſteq; corporis intus & extra,
Horruit aridus, aruit horridus, & ſua feſta.
Orbis amor perit, atq; ſuos terit orbis amantes,
Et ſua gaudia, gaudia triſtia vera putantes.
Vigilabimus, an remanebimus in lue mundi,
Quem patet ignibus, alluvionibus, hoſte retundi.
Quid vaga, quid rea corda colunt ea, quæ nihil extãt?
Quæ breve plaudere, non breve plãgere, poſt breve præ
Cur caro proximꝰ ignis, et intimꝰ hoſtis amatur? (ſtat?
Carnis amor perit, eſt roſa, fæx erit, ergo ſpuatur.
O caro candida, poſt breve fœtida, plenaq; fœcis,
Flos modo, poſt fimus, & fimus infimus, vnde tumeſcis?
O caro carnea, jam modo glarea, poſtmodo vermis.
Nunc homo cras humus, iſtud enim ſumꝰ. vnde ſuper-
O carõ debile, ô cito labilis, ô male mollis, (bis?
Quid petis ardua, quid tibi cornua ferrea tollis?
Quid tibi crapula, milleq; fercula, milleq; paſtus?
Res lue profluа, viuaq; mortua, cur tibi faſtus?
Vnde ſuperbia? fæx tua gloria; morte remiſſa.

Fex

Fæx tua prandia, fæx tua gaudia, fæx es & ipsa.
Quid tibi balnea vestis & aurea? quid tibi venter,
Culta licet caro, semper eris caro, nec caro semper.
Post hominem cinis es, caro desinis esse, putrescis.
Vis tibi quantula sit, docet vrnula, massaq; facis.
O caro lactea, nunc rosa, postea sarcina vilis.
Flos tibi corruet, & rosa defluet hæc juvenilis.
Quæ modo florida, cras erit horrida, plo loquor horror.
Horror amantibus, horror & hostibus, omnibus horror.
Cras eris horrida, cras eris arida, vilis, amara,
Tu modo candida, tu tibi florida, tu care cara.
Pristina replico, defluet illico forma decoris,
Illico defluet, illico corruit, hic nitor oris.
Plurima quid sequor? illa caro, decor ille peribit,
Hæc venus, hic calor, ars ea seu valor ibit, obibit.
Quid caro labilis, aut quid inutilis est homo? cœnum.
Quid rogo carnea gloria? glarea. quid rosa? fœnum.
Carnea gloria, carnis & omnia, carne vigent,
Sunt quasi stantia, deficientia deficiente.
Cur homo nascitur, aut puer editur? ut moriatur.
Exit in aëra, sustinet aspera, migrat, humatur.
Glarea labilis, aura volatilis est homo natus,
Mane stat aggere, nec mora vespere fertur biumatus.
Qui modo flos fuit, in spacio ruit vnius horæ.
Mox rapitur, licet ingenio micet, atq; decore.
Fit cinis infimus. ille probissimus & preciosus,
Irreparabilis, irrevocabilis, officiosus.
Gleba reconditur, atq; recluditur hospite turba.
Laus stat imaginis, umbraq; nominis, imo nec umbra.

Vir subit æthera si bene? tartara si male gessit.
Corpus humi jacet, ars perit, os tacet, aura recessit.
Fæx fit, homo fuit, hunc & amans spuit, horret amatus,
Nosse quę denegat, instat ut obtegat ocyus artus,
Instat ut efferat, & flet ut ingerat, & parat urnam
Nec triduum gemit, heu lacrymā premit ungue diurnā
Mox feretrum vehit, aut feretrū præit, arte subornans
Denique planctibus exequalibus est quasi plorans,
Flens it, ovans redit, ut tumulo dedit ossa, recessit,
Cessit amor pius, ut manus illius afflua cessit.
Occidit, occidit, hic ubi perdidit æs & amicum,
Qui sibi riserat, æris amans erat. ô cor iniquum!
Ille probissimus, ille potissimus, ille vir ille,
Ille quid est precor, illius & decor? urna favillæ.
Pulcher, amabilis, irreparabilis, unicus aptus,
Instar aquæ fluit, è medio fugit illico raptus.
Occidit ut pecus, & decor & decus omne repente,
Et calor & color alget, abit dolor inde juventæ.
Cur morulas paro? cara jacens caro, fæx es, humaris,
Esse quod es finis, in cineres cinis extenuaris.
Quid fluitat cibus, & gula potibus undat & escis?
Pasta cibis cibus es caro vermibus, atq; putrescis.
Est tua cernere pallida funere membra, vel ora,
Funere pallida, sensibus algida, seq; minora.
Flava vel aurea, quam per eburnea colla rotabas
Cæsaries jacet, & cor & os tacet, unde tonabas,
Lumina visibus, auris & auribus, os caret ore,
Nasus odoribus, & cor amoribus, ossa calore.
Ad mala pes citus, ac oculus situs in muliere,

Colla-

Colla q3 lactea, brachia cerea comptruere,
Cerea brachia tam specialia, quam speciosa,
Membra q3 lubrica, continet unica parva q3 fossa.
Candidus antea dens, labra flammea, flos faciej,
Et gena lucida, sunt modo putrida, pars saniej.
Nunc ubi pocula, nunc ubi fercula, fercula mille?
Flos ubi primulus & rubicundulus est color ille?
Vox ubi fractior, illecebrosior est ubi risus?
Sermo q3 lubricus, at q3 phreneticus in probra visus?
Nunc ubi baltheus, aureus anulus, aurea vitta?
Patria nomina nunc ubi culmina sunt proavita?
Rege caro fata, vermibus es data, facta q3 vermis,
Regibus edita, rebus & obsita, nunc es inermis.
Corpus amabile nunc es mutile corpus, & atrum
Morte resolveris, at q3 cadaveris es simulacrum.
Terrea gloria nunc quasi lilia, cras quasi ventus,
Pulchra fugit modo tempore post modo morte juventus.
Splendida pectora, splendida corpora, corpus habentur,
Vt q3 senilia, sic juvenilia busta videntur.
Mox puer interit, ut rosa deperit edita vere,
A valido vigor, eripitur nitor à muliere.
Lyncea lumina mentis acumina si quis haberet,
Fellea dulcia, pulchra q3 turpia, credo videret.
Corpora candida, pectora vivida, membra venusta,
Ossa q3 regia sint modo qualia, consule busta.
Vociferantia seq; minantia busta loquuntur.
Primus, & ultimus, altus & infimus, hic capiuntur.
Est homo res levis, est homo flos brevis, est homo nō ens,
Est homo glarea, terra q3 terrea, membra reponens,

Est homo flosculus atq; statunculus est animatus,
Tunc vegetat, fovet, implet, agit, movet, ad breve flatus
Hic vbi deserit ossa vir interit, est caro sordens,
Est caro carnibus vna vel omnibus, amplius horrens.
Mortua vilior, ægra remissior, est caro nostra,
Quam caro cætera, sicq; cadauera nulla reposita,
Verme cito scatet, vtq; satis patet, ægra debiscit,
Mox q; per aspera per flagra, per fera quæq; fathiscit.
Quod cito morbida, quod cito sordida fiat, omitto,
Quod cito tabida, quod cito putrida, dicere vito.
Adde quod horrida, morte quod hispida, quod fera plus
Fœtida plus olet, ægra magis dolet: illico pus est. (est?
Non tibi funere, siue cadavere, de pecuali
Vel metus ingruit, aut febris irruit, ex sociali,
Cæsus iter secus, inde vir, hinc pecus efflat vterq;,
Ejus an istius est timor amplius: ejus aperte.
Non tibi sit metus exanimum pecus æquore prati,
Amplius effera sunt tibi funera fratris humati.
Ossa revisere vel prope pergere nocte timebis,
Cum minime secus, exanimum pecus ire pauebis.
Nostra cadavera, nostraq; funera fœtidiora,
Esse relinquitur, esseq; noscitur, horridiora.
Flatus homo leuis, atq; vapor brevis, ad breve paret.
Parer & enitet, illico delitet, herba fit, aret.
Flens homo nascitur, & cito tollitur, efflat, humatur.
Stat breve, mox cadit, est modo, cras abit, hic breve sta-
Turbo levissimus, atq; brevissimus est homo flatus tur.
Ipse laboribus, ipse doloribus, est generatus.
Hic caput exerit, emicat, interit, est quasi bulla,

Bulla

Bulla citatius, aura fugacius haud fugit vlla.
Est caro terrea, terraq́, carnea, fumus, imago,
Massa putredinis, vnda voraginis, immo vorago.
Dum sibi cœlitus influit halitus, est rosa, floret,
Dum vapor affluit, illico corruit, infimus horret,
Hic homo gignitur ex lue, nascitur ex muliere.
Nuper homo fatus, est lachrymis datus, hic sibi flere.
Vagit ad vbera, vivit ad aspera, mors vocat, itur.
Qui modo floruit, illico corruit, & sepelitur.
Illico labitur, illico tollitur, illico transit.
Transit, abit, ruit, hic modicum fuit, hic breve mansit,
Hic cito prodijt, hinc cito transijt, & quasi nunquam
Exstiterit, perit, hic tribulos serit, hic saliuncam.
Hic tribulos petit, hic tribulos metit, hic tribulatur.
Lætitiæ fauet, & flet, amat, pavet, inde grauatur.
Donec homo viget, affluit, indiget, ut rota currit.
Dat, rapit, & fremit, opprimitur, premit, vritur, vris,
Vrit & vritur, angit & angitur, ad mala crescit.
Gaudet honoribus, inq́ laboribus his requiescit.
Crux sibi plurima, qui petit infima summa petendo.
Ergo tumultuat, obstrepit, æstuat hæc satagendo.
Vt rota vertitur, ut rosa cernitur, & quasi claret:
Dives eget, tremit, altus ouans gemit, affluus aret.
Deniq́ mortibus vndiq́ pluribus excruciatum.
Vrna furens capit, opprimit & rapit, ô grave fatum,
Laude superstite, nomine divite, dives habetur,
Vrna putredine, patria nomine tota repletur.
Fama sic, est sonus hic probus, hic bonus, hic fuit ille,
Clarus origine, fortis imagine, plenus Achille.

Fama virum dabat, ipsaq; mox labat, aret & ipsa.
Ad breve florida, post breve marcida, scissa, remissa,
Mox ubi transiit, hic homo desijt esse, vocari.
Haud animâ calet, haud animal valet ergo probari.
Truncus iners jacet, ille modo tacet, ante tonabat.
Fæx jacet horrida, qui rosa florida culmine stabat.
Vita volubilis, immo volatilis, est quasi punctum,
Quod geometrica dat tua fabrica, quam cito sumptum.
Mors tua maxima, mors patet ultima linea rerum,
Quo pede testea calcat & aurea, nil sibi serum,
Imminet omnibus, hinc famulantibus, inde tyrannis.
Irruit ocyus, unica totius est via carnis.
Socrate doctior, Hercule fortior, à triduanâ
Febre resolvitur, indeq; noscitur, omnia vana
Vanaq; vivere, vanaq; currere, sole sub isto.
Omnia perspice, deniq; codice scito magistro.
Ecce patentibus ad mala visibus, ad bona cœcis,
Igniculus febris est tibi funebris. unde tumescis?
Quid tibi roboris? illius Hectoris, illius ossa.
Quæ minus eminet, unica continet arctaq; fossa.
Quid tibi grammatis? arida Socratis ossa tenentur.
Vox animæ Plato, justiciæ Cato, pulvis habentur.
Quid tibi faminis illa Demosthenis, & Ciceronis?
Lingua peraruit, aura superfuit artis & oris.
Quid tibi sanguinis est, vel originis? & Fabiorum
Stirps ruit arida, turbaq; mortua fluxit eorum.
Te decor extulit, Absolon abstulit, ultio duplex.
Fæx caro lactea, redditur aurea cœsaries fæx.
Quæ tibi culmina? quæ tibi nomina? quid tibi laudis?

Culmi-

Culmina, nomina, laus quoq; priſtina, quod ruit audis.
Quæ tibi gloria, quæ tibi gratia, quid tibi doni?
Non tibi gloria, nec data gratia, quæ Salomoni.
Eſt tibi regia magnificentia prole Philippi,
Non eris altior, aut meritis minor hic quoq; ſcribi.
Huic pudor ocia, ſeſſio regia colla fuere,
Ludere prælia, nullaq; mœnia ſponte patere.
Orbis & extima vidit, & ultima virfore natus
Gentibus, urbibus, & dominantibus eſt dominatus.
Vicerat omnia, vincitur obvia fata ſecutus.
Poſt hominem cinis eſt quaſi turbinis aura, ſolutus.
Flos erat eſt fimus, ille potiſſimus, illeq; fortis,
Vix modo ſportula plena, vel urnula quo prius orbis.
Eſt ubi gloria nunc Babylonia, nunc ubi dirus
Nabuchodonoſor, & Darij vigor, illeq; Cyrus.
Qualiter orbita viribus incita præterierunt.
Fama relinquitur, illaq; figitur, hi putruerunt.
Nunc ubi curia, pompaq; Iulia? Cæſar obiſti.
Te truculentior, orbe patentior ipſe fuiſti,
Orbis ut extera ſanguine ſidera laude ſubires,
Mota furentia ſunt tibi brachia, prælia, vires.
Cum genero ſene brachia non bene conſeruiſti,
Nec ſocer illius, aut ſocius pius eſſe tuliſti.
Qui cinis es modo, tantus eras homo, quantus & orbis.
Vt tibi ſubditus extitit ambitus urbis & orbis.
Ecce reſolveris area pulveris urna favillæ,
Cæſare nudus es, & prope nullus es, ô ferus ille.
Nunc ubi Marius, atq; Fabricius, inſcius auri?
Mors ubi nobilis, & memorabilis actio Pauli?

Viva Philippica vox vbi calica nunc Ciceronis?
Pax vbi civibus atq; rebellibus ira Catonis?
Nunc vbi Regulus, aut vbi Romulus, aut vbi Remus?
Stat rosa pristina nomine, nomina nuda tenemus.
Quam cito labilis, atq; volubilis orbita sphæræ,
Corda valentia, corpora fortia præteriere.
Et bene floruit, & cito corruit, unda priorum,
Gloria finijt area transijt omnis eorum.
Nos quoq; tollimur & proficiscimur, ad quod & ipsi,
Imus in infera, perdimus æthera, mente remissi,
Mors vocat ibimus haud retinebimus orbis honores,
Mors animantibus imminet omnibus, ibimus omnes,
Ibimus, ibimus atq; redibimus, ad quid? ad imum.
Ima petentia sunt professentia corpora limum.
Est via libera mentis ad æthera, carnis ad ima.
Hæc bene suscipit, hæc male despicit ad sua prima.
Stat caro, mens gemit, Eva virum premit, inde reatus
Mens levat & lavat, at caro cor gravat, inquinat actus
Dulcia jurgia dum feret obvia cornua luna.
Hæc aget illaq; desinet, vtraq; facta quod vna.
Cum caro carnea, terraq; terrea ferre laborat,
Carnea, terrea, temporis alea versat in horas.
Tempus, & omnia temporis inscia stare rotantur;
Singula currere nulla recurrere fluxa probantur.
Corporis optima cerne simillima currere vento,
Currere singula, currere sæcula cœca memento.
Est resolubilis, immo volubilis orbis vt orbis.
Illius omnia peste ruentia, tabida morbis.
Lux sua claruit, ecce peraruit eius amœnum.

Lux

Lux sua clarnit, & cito corruit, est modo cœnum.
Quomodo flumina cerne voluminа currere rerum.
Orbis honos ruit, & fugit, & fluit ordo dierum,
Vt rota voluitur, indeq; pingitur vt rota mundus,
Quippe volubilis, & variabilis, ac rutibundus.
Irritus est ratus, instabilis status est status eius.
It, redit vt mare, deniq; nunc male, cras sibi peius.
Gloria terrea quomodo glarea stat labefacta,
Glarea flumine, gloria turbine labitur acta.
Cuncta fluentia, nulla manentia sunt bona mundo.
Ridet honoribus exterioribus, intus arundo.
Gloria terrea, gloria vitrea, vitrea planè
Illico tollitur, atq resoluitur ejus inane.
Si bene sentio fit variatio, fit fuga rerum.
Et, bene sentio, fit variatio, quoq; dierum.
Mundus & omnia, quomodo somnia, vana recedunt,
Signaq; plurima tempora proxima judicis edunt.
Sidera flammea, lunaq; ferrea visa refertur.
Sol sine lumine, terra voragine subruta fertur.
Terra locis tremit, Eumenidum fremit umbra protetva
Bellica currere fertur in aëre visa caterva.
Agmina mortua currere conflua visa feruntur.
Signa gravissima, monstraq; plurima conspiciuntur.
Gratia corruit, ordo refriguit, undat iniquum?
Quisq; dolo studet, esse probum pudet, esse pudicum,
Ius premitur cruce, grex grege, dux duce, rexq; regēte
Agmen & agmine, culmina culmine, gens quoq; gente.
Omnia lubrica sunt modo publica, nulla teguntur.
Ingenialia vel furialia probra coluntur.

Ah petulantia militat ebria nocte dieq;.
Vox bona displicet, illicitum licet, & placet æquè.
Qui fore vult bonus, est miser, est onus, est onerosus.
Qui mala postulat, ille deambulat imperiosus.
Iustitiæ via nulla manet, quia virgo recessit,
Cumq; sororibus introeuntibus æthera cessit.
Ius ruit, officit, ars mala proficit, ars mala prodest.
Fraus stat, amor jacet, ordo flet, ars placet omnibus est
Hæc præeuntia certaq; nuncia credite finis. (est;
Finis enim venit, orbi honor perit, hoste, ruinis,
Seditionibus, alluvionibus, igne, procellis,
Lite, libidine, fraude, gravamine, sanguine, bellis.
Surgite, surgite. spemq; resumite, spe tremebundi,
Cernite currere regna, labascere culmina mundi.
Vltima tempora, ni sacra littera fallat, aguntur.
Dicta prophetica verbaq; cœlica perficiuntur.
Fertur ut alea gloria carnea, plena favillæ.
Ille minaciter imminet arbiter, arbiter ille,
Censor adest Deus, evigilet reus, est prope Christus,
Quid modo detinet? en ferus imminet Antichristus.
Stirps venit impia, stirps mala bestia perditionis,
Quo duce sidera coget in infera cauda Draconis.
Imminet impius, est prope filius impietatis,
Impius imminet & caput obtinet in malè natis
Multiplicabitur, & dominabitur hoc dominante,
Mors, tribulatio, tantaq; passio, quanta nec ante.
Iam tuba septima, plaga novissima jam properatur.
Ecce recessio, quam tua lectio Paule profatur,
Rege labascere retroq; cedere Roma videtur,

Nec

Nec thronus ipsius, aut status, ut prius, altus habetur.
Actio lubrica, sit modo publica, de medio fit,
Roma prior tua gloria mortua, rex tibi defit.
His præeuntibus, immo sequentibus ordine signis,
Imminet impius ille, vel illius horror & ignis.
Suntq; patentia signa minantia, signa furoris,
Prorsus ut ultima jam fore tempora proxima noris.
Flammivomus, niger, hispidus, aliger est Draco visus
Nuper in aëre, nil ego dicere nunc paro risus.
Claruit omnibus hoc equitantibus, atq; colonis.
Fugit inhorruit, & fuga terruit illa Draconis.
Pestis & horrida transijt oppida, transq; volavit,
Et loca plurima, fert ita maxima fama, meavit,
In geminum caput egrediens apud Anglica rura,
Femina prodijt, ipsaq; finijt in duo crura,
Crura quidem duo, sed sibi bis duo brachia stabant,
Hanc duo pectora, quatuor ubera mirificabant.
Vos volo credere me rata dicere, scribere verum,
Par erat actio, par via, sessio par mulierum
Ex mulieribus, immo sororibus, ô stupor, istis!
Altera transijt, atq; superfuit altera tristis.
Post breve deniq; pars ruit utraq; morte soluta.
Vtraq; pars ruit, hanc obitu fuit illa secuta.
Vir magus actibus in regionibus ivit Iberis,
Quæ noto versibus, hæc ego testibus assero veris,
Is sine semine, simplice virgine se fore natum,
Proh furor edidit, & sibi credidit area fratrum.
Dixit ad ultima vipera pessima se fore Christum,
Hoc prope prædicat esse vel indicat Antichristum.

Nec

Non prope prædicat esse, vel indicat Antichristum,
Natus & editus, ipseq; perditus ordine mentis.
Dixit & impius hic, quia maximus esset Helias.
Hinc fore proxima certior vltima tempora scias.
Gens temeraria, damlicet, impia facta fleamus.
Ille minaciter imminet arbiter, expaueamus.
Nemo capessere jus, mala plangere nemo relinquat,
Gaudia flentibus, irreverentibus ira propinquat.
Iam tuba septima, plaga novissima lux pia, dira
Intonat, ingruit, enitet, irruit, & venit ira.
Gens male conscia lubrica gaudia flendo tegamus.
Gens male conscia, quæ fugienda sunt fugiamus?
Stare refugimus, ad mala fluximus, ad bona flemus.
Hora novissima, tempora pessima sunt, vigilemus.

BERN. MORLANENSIS LIBER SECVNDVS.

AVrea tempora primaq; robora præterierunt, fluerunt.
Aurea gens fuit, & simul hæc ruit, illa Flebilis impit, aurea suscipit orbita metas.
Transijt ocyus & studium prius, & prior ætas:
Gratia firmior, ordo valentior esse solebat,
Melleq; lactea, lacteq; mellea terra fluebat.
Afflua frugibus, arva rigantibus avida cœlis,
Dans bona dantibus, atq; fidelibus ipsa fidelis.

Pax

Pax dabat ocia; gens erat inscia prorsus obeße.
Terra fidelibus affluа patribus, affluа meſſe.
Pax jacet irrita, terraq; perdita, jusq; bonumq;,
Huius amor ruit, illius aruit. aret vtrumq;.
Terra negat ſata. pax homini data ſola fugatur:
Quæ rata floruit, irrita corruit, & violatur.
Dum rata perſtitit, affluus exſtitit omnis arator,
Priſtina reſpuit, & noua meßuit agricolator.
Donec erat rata, multa ſatis ſata reddidit aruo,
Dans bona gramina, largaq; ſemina ſemine paruo,
Gens erat optima, gens ſolidiſſima corde modeſto.
Lucra forenſia cogere neſcia, diues honeſto.
Neſcia fallere, ſe ſua tollere ſedula juri,
Neſcia cirminis, igne Cupidinis haud levis vri.
Nulla pericula, quippe piacula nulla ferebant,
Arua fidelia, tectaq patria rite colebant.
Fœdera jugia, cum lue prælia ſola gerebant.
Quærere culmina, noſſeq; crimina crimen habebant.
Tunc quaſi ludere ſueverat ubere copia cornu,
Multaq; copia, vitaq; ſobria, re, dape, potu.
Multa modeſtia, multaq; copia conveniebant,
Vnida corpora. nam bene pectora viva vigebant.
Tunc erat edita, quæ modo perdita, mentis honeſtas.
Quæ modo maxima, tunc erat vltima, nulla poteſtas.
Tam lyra muſica, quã tuba bellica tunc reticebat.
Nec lyra gaudia, nec tuba prælia præcipiebat.
Gens erat aurea, cui furor alea, cui ſcelus aurum,
Cui pudor emptio, cui neq; mentio divitiarum.
Non erat abdere fas, neq; tollere lucra crumenis,

Plenus

Plenus opum, Tagus aurifluus, vagus ibat arenis.
Moribus æmula lucra, pericula quam preciosa,
Non homo foderat, aut fore noverat invidiosa,
Sumpsit ut aurea pondera ferrea spicula quisq3,
Mox tumor, iraq3 sustulit, utraq3 pugnat utrisq3.
Pristina secula non nisi regula nata regebat,
Secula pristina non sine pagina nuda docebat.
Non capitolia marmore fortia, tunc neq3 jaspis,
Non color Indicus, aut lapis unicus ex Arimaspis.
Gens erat utilis, invariabilis, alta, severa,
Sueta cubilia conjugialia ducere sera.
Nulla libidinis, unica germinis insita cura.
Tunc sacra vincula, tunc dabat oscula crimine pura.
Quisquis erat pater, ille ducem quater egerat annos,
Ergo viros genus hoc dabat, haud Venus ebria, magnos.
Effigialiter in puero pater ipse redibat.
Stirps bona patribus intereuntibus orta subibat,
Non Venus ebria, sed pia gratia tunc dabat orbi,
Sospita sanguine, quosq3 satos sine semine morbi.
Membra virilia, corpora stantia stans cor habebat,
Non ea potibus hæc, dape luxibus illud alebat,
Criminis alea, velleq3 balnea non erat illis,
Colla tegentibus, aut resluentibus ire capillis,
Cygnea tempora, canaq3 pectora non revereri,
Vina cupiscere, ludicra dicere, vim profiteri.
Gens bene conscia, gens bene sobria, gens erat ipsa,
Non sibi corpora, non sibi pectora, mensve remissa.
Non dabat illius ordo quid amplius, aut minus æquo.
Ad nova pocula, non sibi crapula, non sibi præco.

Vina

Vina pericula, vinaq́, vincula, vina venena
Dicere ſveverat, & fore noverat aſpide plena.
Fons ſibi vinea, tegmina linea clarus habebat,
Serica tegmina tunc neq; fœmina ſponſa trahebat.
Portio propria non ſibi ſobria ſponſa vacabat.
Nunc nimis unica, tunc bona publica quiſq; vocabat,
Publica vellera, lac, ſata, jugera, fertilitates,
Pocula, prandia, paſcua grandia, prata, penates.
Prandia mentior, hæc etenim prior haud tulit ætas,
Sveta repoſcere, nec niſi veſpere, nec ſatis eſcas,
Pars quotá vivere de Iovis arbore rite ſolebat.
His Eremitica prandia carica contribuebat:
His cibus ex Iove, ſomnia ſub Iove, ſtratus in herba.
Iuſſa minoribus à gravioribus, à ſene verba.
Pax ſacra gaudia, pax dabat ocia fertilitatem.
Sed neq; gaudia probra, nec ocia debilitatem.
Pax dabat ocia ſanctæ, negocia cultus agreſtis,
Terra legumina, pocula flumina, cingula reſtis,
Obſequium pecus, hoſpitium ſpecus, hordea victum,
Herba cubilia, petra ſedilia, pellis amictum,
Ramus opercula, feſtaq; fercula, rarò legumen.
Lux pede tendere, nox requieſcere, tædaq́ lumen,
Quæ modo marmore, qualibet arbore templa ſtruebat,
Quæ modo cultibus atria, frondibus expoliebant.
Sæcula lactea gens erat aurea, gens bona, de quæ
Audeo paupere carmine dicere, gens fuit æqua.
Aurea gens fuit, aurea gens ruit, orba ſubivit,
Quæ cupit afflua, mente q; mortua vivere vivit.
Afflua cenſibus, indiga ſenſibus, orba patronis,

Se dat in impia, raptat in invia perditionis.
Mundus origine, non nisi nomine mundus habetur,
Mundiciem spuit, in Veneres ruit, hinc repletur,
Ille prior ruit, alter inhorruit, alter at idem
Non modo tempora sunt, nec pectora qualia pridem.
Tempora florida, pectora vivida præterierunt.
Tempora florida pectora vivida prima fuerunt.
Aurea transiit, horrida prodit orbis imago.
Plaga novissima, veraq; lacryma, vera vorago.
Hæc nec nomine digna, nec ordine recta stat ætas.
Hæc vitijs perit, hæc animas gerit irrequietas.
Cumq; ruens eat, hæc populum creat ad mala stantem,
Rebus, honoribus, ebrietatibus invigilantem.
Hæc bona perdidit, hæc genus edidit ore dolosum,
Pectore mobile, re variabile, mente probrosum,
Ista novissima dicitur infima fæx aliarum,
Ista novissima prodit intima mors animarum.
Recta perhorruit, ordine corruit eminet, æstu.
Sollicitudine, fraude, libidine, crimine, fastu.
Est sine nomine, nam sine numine, nam sine jure,
Perdita cladibus, est quia fraudibus, hæc sibi curæ.
Istius omnia fienda nefaria flere profari,
Cuncta minus queo credite, flens ea paucula fari.
Vt breve claruit, ille peraruit aureus orbis.
Convenientibus undiq; mortibus, undiq; morbis.
Secula perdita, re, luc perdita prævaluere,
Stando jacentia, falso virentia, marcida vere.
Talia dum loquor, uror & excoquor igne fideli,
Concremor æstibus interioribus, & face zeli.

Dum

Dum noto turpia, quanta quot impia, quã mala terrã.
Sit licet inscia lingua, silentia non queo ferre,
Vnde quid erdiar? vnde subaudiar? eloquar unde?
Vnde Deus monet, ipse quod os sonet afflat abunde.
Quid prior insequar? an mala persequar, an bona statæ?
Stant mala. jus jacet, hinc Satyræ patet area lata.
Parce modestiæ, multa sequentia sunt inhonesta,
Cara tamen mea sacra vetat rea suadet honesta,
Da veniam precor, hic satyram loquor, hic mala spernè
Indue cor seno dico malum bene, tu bene cerne,
Perdita crimine secula limine vocis in ipso
Vociferans fleo, flere dolens eo carmine misso,
O mala secula quærere sedula rem, pigra rectum,
Fraus quibus edita, gratia perdita, jusq; rejectum.
O mala tempora quæ mala pectora progenuere,
Nulla valentia, pauca valentia recta videre.
Castus amor latet, & Veneris patet alta lacuna.
Omne bonum jacet, una Venus placet omnibus una.
Vos mea lumina fundite flumina nunc lachrymarum,
Recta perit via, cor grave, mens pia ploret amarum,
Luxuries viget, ut stipulas liget ignis Auerni,
Luxuries calet, atq; palam valet edita cerni.
Pax flet, amor gemit, ira stat, effremit exule recto,
Quà fero lumina lætaq; crimina laxaq; specto,
Non ego visibus, immo nec auribus haurio quicquam,
Quid memorabile laude, quid utile re fore dicam?
Quo libet exeo, cernere lugeo mox inhonesta,
Qua ferör obvius est furor impius intus & extra,
Nemo libidinis, aut vitiaminis effugit exors.

Quà geminus polus eminet, est dolus, est furor, est mors.
Fraus sedet omnibus incolitur quibus vtraq; zona.
Omnis in omnibus ad mala partibus est caro prona,
Civica prælia, nilq; fidelia corda probantur.
Colchica pocula, nec minus oscula perfida dantur.
Prava licentia criminis omnia, vult, valet, audet.
Post mala ducitur, in mala labitur, ad mala gaudet,
Nomine gens tua Christe, tibi sua, se dat Averno.
Flenda perennibus undiq; fletibus audio, cerno.
Plausus ad impia, clamor ad ebria post, sed & ante
Terga sonant mea, facta sedent rea jure labante.
Intrat inania milite mœnia Rex Babylonis,
Ipseq; præsidet, ipsius asbidet ala furoris;
Exul origine se patre lumine fit Sedechias.
Prospice mens tibi ne similis sibi crimine fias.
Proh dolor omnia sunt querimonia non rationis,
Nulla tragœdia propria lachryma religionis.
Secula lubrica pœnitet unica mortis imago.
Lubrica secula gens replet æmula, prava vorago.
Docta sed insicia, blanda sed impia, sed vitiosa,
Dissociabilis, insatiabilis, ingluviosa.
Gens pia vocibus, impia moribus ecce creatur,
Gens sibi provida, moribus invida multiplicatur,
Est mala famine, pejor acumine, pessima re gens,
Quæ mala digerit incitat, exerit, in mala vergens,
Gens pia transiit, & Sion exit in hanc Babylona.
Nunc Iacob Israël, & Lea fit Rachel, ordo corona.
Regnat in æthere, fugit ab uberè Philosophiam,
Iam patriam via, Rachel habet Lia, Martha Mariam,

Ille

Ille chorus pius, & ſtatus illius ſvit, obvit.
Vivit in æthere, jam ſine funere, credite vivit.
Gens fuit aurea, quam modo laurea viva coronat,
Salvat adoptio liberat actio, palma perornat,
Gens pia tranſijt, impia prodijt, & numeroſum,
Vulgus inutile, corpore debile, corde probroſum,
Gens ſine pectore plurima tempore vivit in iſto.
Obvia moribus, obvia legibus, obvia Chriſto.
Torpet in ordine, gaudet in agmine creſcere, creſcit,
Fit grege plurima, lucra ſcit infima, cetera neſcit,
Ad mala labilis, ad bona debilis, his ea perfert,
In vitium perit, huic vacat, id gerit, id ſcit, id effert,
Eſt, neq; mentior, ad mala lætior, ad bona triſtis,
Reproba comprobat, & proba reprobat, omnis in iſtis.
Scit bona vocibus, acta ſed actibus edere neſcit,
Prompta malis viget, agra bonis riget & lapideſcit.
Aurea ſecula, corda q; credula præterierunt,
Sunt modo ſarcina, qui neq; crimina, nec mala quærũt,
Sunt q; periſſema, qui lucra plurima non ſibi ſervant,
Qui lucra grandia, lucra forenſia non coacervant.
Vult bona carnea, commoda terrea, vult modo quiſq;,
Præeſt gula plebibus, & ſenioribus, error utriſq;,
Gratia venditur, omneq; curritur in ſcelus æra.
Cum q; fides labet, omnis habens habet, horret egere,
Cana fides fuit, hac amor hac ruit ordo ruente,
Stante fide ſtetit ordo, fugam petit hac fugiente.
Pectora ſobria prætereuntia præterierunt.
Corda virilia, caſta cubilia, terga dederunt,
Lex domini ruit, improba non luit improbus auſus.

Auſibus ultio deeſt, datur unctio, pro cruce plauſus.
Vis caret obice, crimina vindice, judice lites.
Probraq; verbere, furtaq; carcere, præſule mites.
Prorſus ad impia larga licentia fertur ubique.
In mala curritur, & male vivitur, itur iniquè,
Iuris abit ſtatus, eſt ſcelerum latus undiq; fultum.
Qui male quodlibet audet & exhibet, audet inultum.
Fertur ad omnia tranſgredientia ramus olivæ.
Mors replet æmula crimine ſecula, tartara cive.
Tranſgredientibus evenit omnibus, ó furor ó fraus!
Pro cruce plaudere, pro patre ſugere pro ſtimulo lau.
Vis habet ubera, ſictio proſpera, faſtus honorem,
Lac levis actio, ſceptra remiſſio, probra favorem,
Iuſtitiæ vigor, Eccleſiæ rigor, ordoq; patrum
Nunc ubi præminet, aut ubi pramanet unio fratrum?
Quæ manus obvia ſurgit in impia, ſive ſuperba?
Non ego verbera dico, ſed aſpera vel dare verba.
Corde quis æſtuat ut ſcelus arguat invaluiſſe?
Quis pater ordinis eſt ſimilaginis hoſtia frixæ?
Quis modo dux bonus, excipiens onus omne ſuorum?
Quis bona clamitet, & bene militet in lucra morum?
Quis gemit impia, quis probra ſtantia, juſq; relictum?
Quis gladium vibrat eris & hinc librat in ſcelus ictu?
Quis docet ocia pellere noxia, flendaq; flere?
Quis probra ſpernere, ſpretaq; tergere, terſa cavere?
Omnis ad omnia nititur impia gens, gradus, ordo.
Et male vivitur, & male pſallitur in decachordo.
Omnis ad omnia nititur impia mundus oberrans.
Eſt ſenior gravis, eſt juvenis levis, eſt puer errans:

Pre-

Præsul adest, præit, ipse suum vehit, ipse suorum.
Hinc Zelus hinc onus, altus ei thronus est grave lorum.
Sceptriger est, fremit, hos levat, hos premit, estq; Tyran-
Quodq; magis fleo, mitibus est leo furibus agnus. (nus,
Presbyter est, iter utile presbyter ad bona debet,
Non iter utile, sed lachrymabile vel sibi præbet.
Clericus est, legit, haud bene se regit, ima volutat,
Et facienda scit, & minimè facit, his ea mutat.
Miles adest, gerit arma, furit, ferit, emicat hasta,
Castra perambulat, omnia strangulat, estq; cerasta.
Nobilis est, tumet, ipse nihil timet, ergo timetur,
Erigit ardua tortaq; cornua, nil reveretur.
Censor adest, labra vendit, amat lucra, censet iniquũ,
Astat habentibus, obstat egentibus os inimicum.
Institor est, foragirat & æquora, propria laudat,
Et sua comprobat, & tua reprobat, indeq; fraudat.
Rusticus est, serit & sata congerit, horrea farcit,
Primitias tegit, & decimas legit, hinc sibi parcit.
Singula latius & spacioſius hæc repetendo,
Addo revolvere, rosaq; rodere denuo tendo.
Pontificialia corda carentia corde probavit,
Pontificialia corda pecunia contenebravit.
Pontificum status ante fuit ratus, integer ante,
Ille statum dabat, ordine nunc labat ille labante.
Qui super hoc mare debuerat dare se quasi pontem,
In Sion omnibus est via plebibus in phlegetontem.
Si nova dicere, vel nova singere non grave nossem;
Quos scio, sed tego, Pontifices ego dicere possem.
Stat sibi gloria, pompa superbia divitiarum,

Hoc prope tempore nemo studet fore pons animarum.
Præsulis insula, solvere vincula, vincla tenere,
Canone resputt, æreq; destruit, astruit ære,
Regia culmina, vel moderamina regia nactus,
Prædo sit hosticus, estq; Tyrannicus illius actus.
Rex modo nomine, consul imagine, mente tyrannus,
Civibus improbus est, reprobis probus, & sibi magnus.
Hoc probra judice, norma caret duce, sit via lucris.
Hoc male vindice, non volat à cruce pasta volucris.
Pro grege paupere recta capescere despicit arma,
Tetra latronibus esse timentibus affore parma.
Ecclesiæ rigor, imperij vigor interierunt.
Est via fraudibus, his, ea, stantibus, occubuerunt,
Schismata mutuo, stant gladij duo, nil metuuntur.
Iuraq; regia, Pontificalia jura premuntur.
Lex Domini tacet, & gladius jacet imperialis,
Mors animæ fremit, & gladius tremit heu Synodalis,
Plebs sine præsule pressa tyrannide dilaceratur,
Crimine penditur, hoste reliditur, igne crematur,
Nec schola præsulis, hanc neq; consulis obvia dextra
A capitalibus intus, ab hostibus eripit extra.
Qui stat in agmine primus imagine presbyteratus,
Est vitio levis, officio brevis, inguine fractus,
Vt soror intima sit sibi proxima presbyterissa.
Ipsa patrem vocat, ipsa torum locat, assidet ipsa,
Servit uti solet, & cerebro dolet ipsa dolenti.
Ipsa dapes emit, assidet & gemit ipsa gementi.
Ipsa fovet, favet, audit, amat, pavet ipsa magistrum.
Est thalamo sera, mittit ad extera sæpe ministrum.

Præstat

Præstat inaniter ordine presbyter ille vocatus,
Heu sibi corporat, & populi vorat ille reatus,
Quam venerabile, quam sacret utile, qualeq; sacrum
Non satis aspicit, ordinis efficit hinc simulacrum.
Pura libidine, dignaq; sanguine, carneq; Christi,
Ora minus gerit, orbaq; plebs ferit acta magistri.
Non nisi nomine clerus, imagine forteq; cleri
Vivere sustinet, arduus imminet esse videri.
Fervet in agmine, torpet in ordine quo titulatur.
Nomine clericus, actibus aulicus esse probatur.
Aspicias sine lege vel ordine currere clerum,
Atria visere, regia volvere turbida rerum,
Ad popularia stare negotia, resq; forenses,
Adde quod exerit arma, quod ingerit omnibus enses.
Agmina ducere, prælia jungere, miles haberi
Clericus eligit, & sacra negligit otia cleri,
Miles atrox rapit, angit, agit, capit, urget egentes,
Quos premit, opprimit, omnibus imprimit undiq; dētes,
Non modo non regit ore, manu tegit agricolantes.
Sed fugat & ferit, & cremat & terit arva terentes.
Raptus ej cibus hos operit, quibus hos male nudat,
Ad mala militat, ad mala cursitat, ad mala sudat.
Miles edacior igne, rapacior est quoq; milvo,
Tigride sævior, atq; nocivior angue nocivo.
Sævit in agmine clarus origine nobilitatis.
Nec sibi propria sed reverentia stat sibi patris,
Præficitur, præit, ore patres vehit, haud vehit actu,
Stemmate nobilis, est reprobalis ipse reatu.
Rebus, origine, carne, nec ordine nobilitatur,

Est resolubilis, & caro nobilis, aret, humatur.
In vitium tener est homo degener, altus & imus.
Curi quia corpore non animo fore vult quasi primus.
Ad lucra supplicat, & malè judicat ob lucra judex.
Te scelus impedit, aureus expedit æra, silet lex.
Æs domat omnia, respiat impia, lex silet ære.
Vim lupus ingeris, agnus habeberis, offer habere.
Per tua munera tangis & æthera, lege cremandus.
Census adest tibi, censor erit tibi, ne fuge, blandus.
Munere non sinis ullius ordinis hunc meminisse.
Ad lucra clamitat, his sua vendicat ora, premit se,
Deniq; lex ita fit sibi subdita, non homo legi.
Aspice munere tot mala surgere, tot bona mergi.
Proh furor aspice, quam cito judice lucra tenente,
Stent mala, jus ruat, hæc levet, hæc spuat ille triente,
Quam sine judice judicet, aspice, quam sine jure.
Quippe pecunia, non Theodosia lex sibi cæra.
Institor omnia pene negotia fraude volutat.
Lucra lucris emit, hæc levat, hæc premit, his ea mutat,
Per nigra frigora, per juga, per fora, per freta currit,
Fur capit hunc, ferit hostis, hiems teritastim adurit,
Captus, egens abit, haud vacuus canit ante latronem,
Lucra resuscitat, hinc iter incitat in Babylonem,
Inde repatriat, hinc nova nunciat & nova defert.
Fraudat emens tua, quippe tuis sua pondera præfert.
Est malè perfidus, ambulat invidus agricolater.
Sæpe novalia proxima propria jurat arator.
Iurat ut auferat, & cito peierat atq; scienter,
Inde frequentia mutuo jurgia, causa frequenter.

Rusticus

Rusticus hordea mittit in horrea, farra recondit,
Horrea grandia, vasa capacia, multaq; condit,
Nec pecus aut sata, dante Deo data, vult decimare:
Nec sacra portio, nec decimatio redditur aræ.
Prava statactio, quaq; professio, gens, gradus, ætas,
Quaq; nefaria patrat, habet via sobria metas,
Omne bonum perit, omnis homo gerit alteritatem.
Pugnat inertia solvere fortia, fraus pietatem.
Nunc premit omnia sola pecunia, res dominatur.
Mammona conditur, ad sora curritur, ad lucra statur.
Stat modo Mammona, sunt oneri bona, crimen honori.
Opprobrio via justiciæ, pia facta pudori.
Culmine clericus, arce monasticus occidit ordo,
Pars ea frangitur, ista resolvitur ordine torto,
Altera flebilis, est miserabilis altera prorsus.
Vtraq; nomine stat, jacet ordine versa retrorsus.
Vtraq; pars labat, illa decus dabat, ista decorem,
Vtraq; decidit, utraq; perdidit arida florem.
Quis bonus est, bene spernitur à sene sacra senecta,
A puero pudor, à valido rubor, & via recta.
Deniq; crimina, differo nomina dicere quorum,
Clamat, amat, gerit & parit, & perit ordo malorum,
Est facies ita crimine perdita totius orbis,
Vt neq; jam puer exeat integer à lue mortis.
Sunt puerilia, sunt juvenilia cum senis ævo,
Sordida pectora, nullaq; tempora sunt sine nævo,
Ipseq; parvulus, haud quasi masculus, at vticebo,
Talia, talia, tam furialia probra silebo.
Parco retexere, differo prodere sordidiora,

Quod

Quod vitio fuit edere, polluit & cor & ora,
Stat Venus ignea, solvitur aurea zona pudoris
Stant probra stantia, sunt mode retia tensa furoris,
Parcere clunibus excidit omnibus, omnibus inquam,
Non ego rodere non reprehendere quemq; relinquam,
Vulgus in impia vulgus in omnia turpia fluxum,
Lugeo, rideo, Diogenes, ego Democritus sum.
Nam meretricia nosse cubilia gens putat æquum.
Lex gemit & jubet, inquit ubi hic cubat illaq; secum.
Cur etenim data fœmina vel sata, ni patiatur?
Sexus id imperat, inquit, ut hæc ferat ille feratur.
Quomodo prandia sic meretricia probra licere
Gens putat ebria, scilicet insciа se cohibere.
Omnis in omnibus ad mala partibus omnia mundus
Sponte sua ruit, ordine stans fuit, est ruibundus,
Vltro relabitur, ultro resolvitur, occidit ultro,
Stante libidine, stanteq; crimine, jure sepulto.
Quà Tanais fluit, & tropicum subit ora Syenes,
Quisque resolvere, nemoq; cingere vult sibi renes.
Gens asinazia jugiter ebria luxuriatur,
Vitaq; sobria, castaq; gratia vituperatur.
Quasq; velut pecus, aut saliens equus in scelus hinnit.
In Venerē salit, hanc fovet, hanc alit, hinc malagignit.
Nullo: nefaria, cernimus omnia pulcra relinqui.
Dant sibi vincula, carnis & oscula carne propinqui.
Oscula turpia, nilq; sororia clancula fratri
Congeminat soror, est via, quid moror, ampla barathri
Conseritur genus, omnibus est Venus unica cura
Non modo septimus est gradus ultimus in genitura,

Legiti-

Legitimus perit, arva patris terit haud patris hæres.
Conserit omnia cæca licentia per mulieres.
Pignora spuria dat vaga curia nobilitatis,
Pluribus ordine dispare, sanguine comparenatis.
Fervet adultera, nec probat integra fœdera magnes.
Heroidas vaga pluribus est data, nemo Iohannes.
Nunc quoq; lilia spiritualia prostituuntur,
Vivæ monilia, cœlica lilia subjiciuntur.
Dos sacra rumpitur, atq; resolvitur in probra velum.
Quisq; sibi cavet, atq; Dei pavet edere zelum.
Virgineus chorus aret, abit thorus immaculatus,
Sponsa Dei ruit, omnis homo fluit in probra factus.
Ah, gemit omnia vivere turpia regula casta,
Hæc querimonia, sive Tragœdia clamat ad astra.
Horreo dicere quæ reprehendere sæpe reflammor,
Criminis unius heu ferit obvius æthera clamor,
Criminis actio vociferatio dicitur ejus,
Quod Noë tempore nunc scelus affore vel puto pejus,
Est modo sanguine, fraude, libidine, terra repleta.
Ventre molestia, munere gratia, re bona spreta.
Omne quod aspicis in probra fornicis est resolutum.
Nil stat in ordine, nil stat ab inguine nunc bene tutum.
Dæmonialia denig; retia stant modo scorta,
Corpora perdita, tritaq; semita, publica porta.
Luxuries viget, impietas riget, undat iniquum.
Inquinat omnia turba nefaria grex meretricum.
Vita procacibus est meretricibus ire licenter.
Lingva, cor, actio, commaculatio, crapula venter.
Omnis & unica gloria lubrica carnis amare,

Corda

Corda voragine, membra libidine commaculare.
Fœmina sordida fœmina perfida fœmina fracta,
Munda coinquinat, impia ruminat, atterit acta.
Ad scelus, ad bona fit mala fœmina calcar habena.
Est fera fœmina, sunt sua crimina sicut harena,
Non eo carpere quas benedicere debeo justas.
Sed quia debeo carmine mordeo mente locustas.
Nunc mala fœmina sit mihi pagina, sit mihi sermo.
Se satis approbo, sed sua reprobo. persequar ergo,
Fœmina mitibus artibus actibus impia suadet
Cogere crimina totaq; fœmina vivere gaudet.
Nulla quidem bona, si tamen & bona contigit ulla;
Est mala res bona. namq; fere bona fœmina nulla.
Fœmina res rea, res male carnea, vel caro tota.
Strenua prodere, notaq; fallere, fallere docta,
Fossa novissima, vipera pessima, pulchra putredo:
Semita lubrica, res male publica prædaq; prædo,
Horrida noctua, janua publica, dulce venenum.
Nil bene conscia, mobilis, impia vas lue plenum,
Vas minus utile, plus violabile, flagitiosum,
Insatiabile, dissociabile, litigiosum,
Merx levè vendita, sed cito perdita, serva metalli,
Flamma domestica diligit unica fallere, falli.
Extat amantibus hostis, & hostibus extat amica.
Si petitur petit, idq; lucri metit, ut sit iniqua.
Sunt sua gaudia, sunt sua propria, lux sua nocte.
Hæc nihil excipit, ex patre concipit, exq; nepote;
Fossa foraginis, arma libidinis, os vitiorum
Hæc fuit, est, erit, & per eam perit ordo bonorum.

Donec

Donec erunt fata ruricolis data, credita ruri;
Hæc lea rugjet, hæc fera sæviet obvia juri.
Hæc furor ultimus, hostis & intimus, intima pestis,
Dum negat illicit, & scelus injcit illa modestis,
Hæc caro carnea, sed lue Protea mobilitate
Vincere noscitur, hæc pia cernitur impietate
Hæc vitium docet, ars mea non vocet hanc vitiosam?
Hanc vitium voco, perfidiam probo, nomine noxam.
Merx ea plurima, res ea pessima, pessima rerum,
Cautior omnibus una fit artibus ars mulierum.
Non lupa nequior hac, quia parcior impetus ejus.
Non draco, non leo. sed quid ea queo dicere pejus?
Istius omnia non modo noxia sed bona damnes.
Hoc scelus arguit, ense ubi corruit ille Iohannes.
Hac quoq; vir fuit Hippolytus ruit, hac ruit Ammon,
Hac Ioseph angitur, & coma raditur hac tua Samson.
HacRubẽ, hac dedit, hacSalomõ cadit, hac homo primꝰ.
Hæc dat, agit, gerit vndo pudor perit, unde perimus.
Fœmina cordibus, ore vel actibus, est draco dirus,
Flamma gravissima serpit in intima quomodo virus,
In sua crimina se mala fœmina pingit, adornat,
Fucat, adulterat, innovat, alterat atq; colorat.
Dum scelus instruit, ut leo circuit, ut fera currit,
Currit & ignibus ignis edacibus uritur, urit.
Lubrica lumine, fervida crimine, crimen & ipsa.
Stans in amoribus, in levitatibus est modo fixa,
Glutinat, illicit, & nimis inspicit inspicientem,
Et quoties licet, hanc toties libet esse nocentem.
Quando fidelior & tibi junctior aspicietur,

Tunc

Tunc famulum tibi præficiet sibi si mage detur.
Cor leve, vox levis, atq; fides brevis in muliere.
Fœmina munere dat breve ludere, non breve flere,
Vltima tristia, primaq; dulcia sunt in amore,
Criminis exitus absolet obsitus esse dolore,
Pectora perdita primitus excita flamma reflammat.
Criminis excitus, heu mihi funditus, heu mihi clamat.
Fœmina fœtida, fallere fervida, flamma furoris,
Prima peremptio, pessima portio, prædo pudoris.
Propria germina, proh fera crimina! decutit alvo,
Credita desecat, abijcit, enecat, ordine pravo,
Fœmina vipera, non homo sed fera, nec sibi fida.
Plasmatis illius, immo sui prius, est homicida,
Aspide sævior, & furiosior hæc furibundis.
Proh truculentia! propria viscera mergit in undis.
Fœmina fœtida, fœmina perfida, fœmina fœtor.
Est Sathanæ thronus, huic pudor est onus, hanc fuge le-
Et legitur quia plus domino pia, plus quoq; grata, ctor.
Prava virilia quàm muliebria sunt benefacta.
O mala tempora! cur? quia siercora tot peperierunt,
Tantaq; sordida, ne loquar horrida, tanta dederunt.
Omne bonum ruit, omnis homo fluit in probra quæq;,
Omne bonum jacet, omne malum placet omnibus æquè,
Casta cubilia sunt modo vilia, lata petuntur,
Conjugalia sive jugalia pacta sinuntur.
Nupta virum spuit, inq; viros ruit, hos trahit ad se.
Ne nubat unica, ne quasi rustica, dat sua, dat se.
Quæ bona fœmina? cui bona nomina? quæ bene casta?
Quæ pia præminet, aut fore sustinet integra claustra.

Quæ

Quæ ſacra fœdera? neſcit adultera, ne rea ſignat,
Ne ſobolem ſine lege vel ordine, ceu lupa gignat,
Vt patris hic puer, hic pueri pater ore notetur,
Nil in origine, nil in imagine degeneretur.
Stirpsq; viro data, patre viro ſata, non patre verna,
Os patris exerat, ipſaq; præferat acta paterna.
Cui rata pactio, vel benedictio quæ ſit in ara,
Cui pia lumina, quæ pia fœmina? credite, rara.
Rarior hæc avis, hæc nimis eſt gravis herba repertu.
Talia mordeo, talia video, non ſine fletu.
Rara fidem gerit, omnis enim perit ordo marito.
Grex ſine turture, nam ſine paſſere nulla cupito.
Vir populis placet omnibus, ut vacet unica nupta,
Pluribus unica ſit via lubrica, ſemita rupta.
Vir petit extera, gaudet adultera publica gaudet,
Mox ſcelus inſtruit, evocat, annuit, ardet & audet.
Conjugis otia conſpicit anxia, læta feretrum,
Læta pericula, lætaq; vincula, lætaq; lethum.
Iußio Iulia, lexq; Scatinia nunc ubi dormis?
Vivitur omnibus, & ſine legibus, & ſine normis;
Plurima fœmina, plurima crimina, multa ruina.
Plurima Lydia, rara Lucretia, nulla Sabina,
Nulla fere bona, nullus Amazona nunc videt ullam.
Absq; procis tribus, bisq; procacibus, audio nullam.
Tam ſine lumine, quam ſine crimine vult fore quæq;,
Ter fore clunica, quam ſemel unica diligit æque.
Vxor adulrera quærit in infera plus quoq; mitti.
Quam comes unius, ô furor impius! eſſe mariti.
Sufficientior & ſibi gratior unus ocellus,

Quam comes unicus, ô furor Ethnicus! ô rea tellus!
Elige quaslibet, excipe quaslibet, has coaduna,
Non rea corpore, castaq3 pectore pæne nec una.
Per varium genus imperitat Venus imperiosis.
Flebile! sed quibus? astra flagrantibus, ima perosis.
Ipsa coinquinat & sibi glutinat omnia mundi,
In sua retia cogit inertia corda refundi,
Ipsa voracior, atq3 rapacior ignibus ignis,
Ardet inertibus, & male putribus insita lignis.
In venerem ruit, in coitum fluit omnis ut unus,
Conjugis illius arrha fit istius, est prope funus.
Quis modo non pater? & pueros puer instat habere.
Imminet atria testaq3 patria prole replere.
Quisq3 suam cupit, & thalamos subit, estq3 maritus.
In Iacob agmine, non sine semine fit benedictus,
Sic pater editur, edita traditur huic nova proles,
Patris ad extera, matris ab ubera plurima moles.
O nova secula! nunc quoq3 parvula nubere gliscit,
Cruda puellula conjugis oscula vimq3 cupiscit.
Dos sibi traditur, annulus additur, arrha dicatur.
Hinc Lyricus jocus, inde strepit coquus, esca vagatur,
Fervet ovantibus atq3 canentibus aula choreis,
Pompa sequentibus & præeuntibus est hymenæis.
Nec mora concipit, est gravis, accipit omnia matris,
Plena trahentibus atq3 bibentibus ubera natis.
Major & ardua stirps sua, mox sua stirps dubitatur,
Qui sibi filius est pater illius esse putatur.
Morbida germina gignit & agmina multa libido,
Sæpe parens gravis est, & adest avis afflua nido.

Grex

Grex cito nascitur, & seges editur hinc puerorum,
Fit generatio, multiplicatio crescit eorum.
Quid mora? plurimus ipseq; pessimus errat ubiq;
Grex hominum, sine simplice lumine, mentis iniquæ.
Rura per omnia pæne frequentia spargitur urbis,
Nulla vacantia, nulla carentia sunt loca turbis.
Iam loca singula mons, specus, insula, jugera, prata,
Sunt habitantibus atq; meantibus assiduata.
Iam juga Caspia primitus inuia, sunt pede trita.
Non quia maximus est, modo plurimus est heremita,
Innumerabilis & miserabilis est hodie gens,
Post mala promptior, in mala pronior, ad mala vergēs.
Quisq; malum docet, & minimè nocet esse nocentem,
Quisq; mero calet, & minimè valet esse scientem.
Quæritur ocius atq; licentius uda taberna,
Quam sacra numina splēdida numine templa superna,
Gens bibit impia vina furentia plus satis æquo,
Fert oleum focus, vina subit jocus ordine cœco.
Gens sitit ebria, vina celebria, bellica vina,
Vina furentia vimq; ferentia, plena ruina.
His Noë frangitur, his Loth aduritur ante pudicus,
Hæret edacibus atq; bibacibus ardor iniquus.
Qui fore crebrius expetis ebrius atq; recumbis,
Ad mera pocula vis cito cingula solvere lumbis.
His ubi vinceris, uris & ureris ignis amore,
Mens furialibus æstuat ignibus, ossa calore.
Vermis edacior, haud ego mentior, insitus hostis
Est tibi renibus, & viget ignibus intro repostis,
Verme libidinis illico desinis esse modestus.

Hic furit hostibus hostis, & æstibus acrior æstus.
Vina Venus cupit, hac face mens furit, actio fumat.
Mox stomachꝰ satur in Venerē datur, improba spumat
Ob mera pocula primo furit gula, post ea venter,
Mox Venus excita concitat abdita membra furenter.
Sunt fluitantia, stanteq; stantia ventre pudenda.
Hunc cibꝰ, hūc Venꝰ implet, amāt scelꝰ hæc duo mem-
Alterius ruit in phialas, fluit in probra luxus, (bra,
Inde libidinis atq; putredinis ilico fluxus.
Alterius furor efficit ut pudor abijciatur,
Vt pereat vigor, intereat rigor, ordo prematur.
Cura stat unica, luctaq; publica carnis in esu,
Ebrietas placet, & tua vox jacet ô bone Iesu.
Regnat edax gula plenaq; crapula, corda gravantur
Ebrietatibus, improbitatibus exstimulantur,
Plena voragine, plena libidine, ventreq; plena,
Tempora sunt quibus unus amor, cibus & caro lena
Viscera pastibus, os dare potibus est modo clarum,
Et Venus & gula sunt modo regula ventricolarum.
Christicolas nego, ventricolas ego dico gulosos,
Nulla nefaria, deniq; turpia nulla perosos. (venter.
Nunc bonus est reus, est stomachus Deus, & schola
Quisq; gulæ studet, ah piget & pudet ire pudenter.
Quod loquor accipe, diruta principe stante cocorum,
Ierusalem jacet, unda cibi placet, immo ciborum.
Semita spernitur atq; requiritur ecce platea,
Dant sua vincula cuiq; prius gula, post Cytherea.
Proh dolor! aspice secula triplice stricta furore,
Triplice crimine nexa, libidine, fraude, tumore.

Corda

Corda superbia, sed Venus ebria corpora nectit.
Corpora cordaq3 fraus ligat, utraq3 mors sibi flectit.
Sarcina terreæ corda premit rea collaq́2 prona,
Corde reflectimur imo revertimur ad Pharaona.
Imus in invia, stamus ad impia, sed male stantes,
Prætereuntia vel pereuntia prorsus amantes.
Imus & ibimus vnde peribimus, vnde ruemus,
Qui pereuntia sive ruentia sola videmus.
Pax flet, amor perit, hic furit & ferit, ille feritur.
Mars rigidum fremit, ille stat, hic gemit, in scelus itur.
Sanguineum rapit & rotat & quatit ira flagellum,
Fert fera spicula, sæva pericula funebre bellum,
Pax viget ethnica, pax ruit unica Christicolarum,
Si bene sentio, junctior unio paxq́2 ferarum.
Cernite gens rea, nulla leam lea non aper aprum
Devorat aut secat, aut sobolem necat ultio patrum.
Spiritualia deniq3 prælia nos male tentat,
Semper & impia mentem homicidia sæpe cruentant.
Ah pede compare lugeo currere fasq́3 nefasq́3
Militat hinc tumor, inde manus furor armat utrasq́33,
Guerra parentibus hic, ibi fratribus est uterinis.
In sua viscera gens furit ebria regnat Erinnys.
Proh truculentia! funera patria filius ardet.
Conqueritur quia mors homini via postuma tardet.
Et pater impius expetit illius ordine pulchro,
Ante recondere splendida paupere membra sepulchro.
Matris anilia lumina filia claudere gaudet,
Ferreq́3 funera, postea libera, quod libet, audet.
Aspide pocula dant nece pabula plena noverca,

Mors subit effera, qui petit extera divite merce
Dives opes luit, in jugulum ruit hospitis hospes,
Rara superstite, nullaq3 sospite conjuge sospes.
Conjuge vir perit, hancq3 viri ferit ensis acutus,
A rigido tener, à socero gener est male tutus,
Persequitur nece, si minus, aut prece frater amicum.
Quem nequit ensibus, opprimit artibus, ó cor iniquum!
Gens sibi noxia, turba præimpia sunt sibi damno.
Proximus est tibi, mutuo tu sibi quod lupus agno.
Gratia corruit, atq3 refriguit ignis amoris,
Est modo perdita regia semita, semita moris,
Cassaq3 lumine plenaq3 crimine corda gelantur,
Frigida pectora, veraq3 frigora stare probantur.
Gratia corruit, algor inhorruit amplior Istro.
Est populus sine moribus, ordine, rege magistro.
Lex Domini ruit, huicq3 caput fluit undiq3 rore,
Qui tepidos bonus, ó gravis hic sonus, evomit ore.
Deniq3 quid moror? & tumor & soror ira tumoris
Stant super omnia, frausq3 bifaria cordis & oris.
Gens proba transiit, improba prodiit, atq3 probrosa
Garrulitatibus, ebrietatibus officiosa.
Plena pigredine, plena libidine, crimine plena,
Callida pectore, parvaq3 corpore, frontis egena.
Patria corpora, patria robora fert prope nemo,
A patre filius est quasi Sisyphus à Polyphemo.
Forma parentibus atq3 nepotibus haud manet una,
Corporis omnia deficientia sunt quasi luna.
Corporis ut status excidio datus; est ita mentis,
Gens scatet arida, corpora langvida, cordaq3 gentis.

Pectore

Pectore peßimus & ſibi proximus eſt modo quiſq;.
Qui tibi ſupplicat, intima duplicat arte doliſq;,
In duo ſcinditur, unio ſolvitur alteritate,
Schiſmate fœdera, ſimplaq; viſcera duplicitate,
Ille fit iſtius, ille fit illius hoſtis, amicus.
Ridet & invidet, obſtat & aßidet, æquus, iniquus.
Proditur irrita regia ſemita ſimplicitatis.
Induit impia fictio pallia duplicitatis.
Vos volo credere quod volo dicere, Pſeudoprophetæ
Nulla feracius ac numeroſius hâc tulit ætas.
Deniq; ſordibus interioribus hi Phariſæi
Sunt via lubrica, janua publica perniciei.
Peſtis inhorruit, agmen & irruit hypocritarum,
Hiſpida corpore, lubrica pectore gens tenebrarum.
His ſacra nomina, ſacraq; tegmina, corda ſuperba,
Agnus eis patet in tunica, latet anguis in herba.
Sunt petulantia corde, rigentia fronte Catonis,
Cerea vultibus, ærea moribus in mala pronis,
Corda minacia, corda rapacia, corda lupina,
Fucat imagine, palliat ordine veſtis ovina.
Corda tumentia, corda carentia monade cordis,
Sunt pia vultibus, impia fructibus, atria ſordis.
His dolus additur, ut coma raditur & mutilatur,
Fingit ovem lupus, atq; roſæ rubus aßimulatur.
His mera pocula, plaraq; fercula regula tota.
His locus unio, jus ſimulatio, lex ſua vota.
Scandala, ſchiſmata, nullaq; Sabbatha mentis in illis.
Deniq; tollitur actibus, additur ordo capillis,
Forpice, pectine, crinis & ordine canoniſantur,

Insipientior, hic ego mentior? at simulantur.
Fronte vetustior, & quasi justior unus eorum
Inferioribus ordine fratribus est schola morum.
Cor mala ruminat, & bona seminat, & bona fatur.
O pudor, ó scelus! est Sathan, angelus esse putatur.
Est Sathan actibus, ipseq; vocibus angelus idem.
Quod sonus edocet, actio dedocet, hostis eidem.
Nec videt impia, nec sua turpia, fratribus Argus,
Eloquij sator, & veniæ dator est sibi largus.
Corde carent sene dicta, senis bene dicta probantur,
Membra senilia sub juvenilia vota citantur,
Vulpe lupum tegit, ordine se regit exteriori,
Ore patet bonus inq; suo dolus interiori.
Mens male conscia sarcina propria, proxima pestis,
Se sibi subjugat, effugit, effugat intima testis,
Frons gerit Hectora, vincere Nestora creditur ætas.
Est cutis arida, fertq; per hispida brachia setas.
Iam prope funera pollice dextera computat annos,
Cumq; senex labet hic, animos habet ipse tyrannos.
Iam quid apertius? en Cato tertius æthere missus,
Fronte severior, in cute justior, intro remissus,
Est Cato tempore, cernitur affore Maurus Hiarba,
Hunc Venus evirat, vna virum facit hispida barba.
Frons hominem gerit, intus homo perit, est lupus intus.
Sed tua gloria stat tibi filia regis abintus.
Quid mora nectitur? orde relinquitur, ad mala statur.
Stat simulatio, morigeratio ludificatur.
Irrita dextera sit tibi littera Pythagoræa,
Dextra tibi jacet & scelerum placet ire plateâ.

Arcta

Arcta relinquitur, & via carpitur ampla quibusq;,
Quærimus invia, fluxa, fluentia, confluimusq;,
Architriclinia, sceptra, sedilia prima petendo,
Quisq; tumultuat, instat & æstuat hæc satagendo.
Mundus honoribus est neq; moribus omnis anhelus,
Stant modo stantia luxus, inertia, fictio zelus,
Stat simulatio, dissimulatio, crimen utrumq;.
Alea, crapula, fraus, facinus, gula, flagitiumq;,
Ora bilingua, lis, homicidia, Mars, tuba, terror.
Vis, probra, jurgia, quid moror? omnia me docet error.
Talia germina scilicet agmina sunt vitiorum,
Germina talia sunt capitalia vulnera morum.
Prima superbia suadet in invia pergere mentem,
Ingerit agmina, crimina maxima, crimina septem,
Prima superbia jussa dat impia, grex ululatum,
Prima cor obsidet, & cito possidet hæc grege statum.
Hæc monet, hic ruit, & bona subruit, & mala servat,
Stante libidine, stanteq; crimine crimen acervat.
Masculapignora vivaq; robora mergit Hebræi,
Sed muliebria servat & omnia molliciei.
O mala secula! cur? quia regula nulla tenetur,
Promptus ad extima, doctus ad intima stultus habetur.
Non patientia, sed violentia dat modo pacem.
Qui tacet esurit, & lucra parturit esse loquacem.
Lingua sophistica, lingua Tyrannica, lingua forensis
Præcipit omnia, percutit obvia, qualiter ensis.
Lingua volubilis est modo nobilis, huc ades audit
Mutus Episcopus, ordine reprobus ostia claudit.
Nil tumidum sapis? aut pecus aut lapis esse probaris,

Es quasi viperæ pectora libera testificarix.
Nunc mala reddere gloria, cedere culpa tenetur,
Irreverentia laus; patientia crimen habetur.
Quam stipe viuere, non mala reddere tam pudet æquè
Ad scelus, ad probra gens viget impia nocte dieq;.
Heu mala mentio, pejor & actio, peßimus usus
Stat modo criminis, & vigor ordinis ille retrusus.
Tot nego sobria corda quot ostia restua Nili,
Tot pia viscera, quod vaga sidera, nunc reperiri.
Scrubt quem fore simplice pectore cerno modestum,
Ac rude deputo, monstraq; computo pectus honestum.
Comparo curribus æquor arantibus, arida velis,
Ruraq; piscibus, aëra navibus, astra camelis.
Flaccus Horatius, & Cato, Persius & Iuvenalis
Quid facerent modo, si foret his modo vita sodalis?
Temporis istius acta Lucilius ille stuperet,
Et sua prospera sanctaq; tempora non reticeret.
Diceret optima, quæ suâ tempora peßima dixit.
Scriberet aurea, quæ nigra, vel reâ, quæ mala scripsit.
Prospice secula, prospice singula mersa tenebris.
In mala labere, lapsus amabere, rectus egebis.
Vis mala linquère, recta capescere, vivere rectè,
Es lyra publica, scena theatrica sit tibi de te.
Proh dolor omnia mergit in impia vera charybdis,
Crimina congere, magnus habebere, maximus ibis.
Vis requiescere, tutoq; vivere, vis tibi pacem?
Leno potentibus esto reatibus, unge minacem.
Facta videns rea percipe caprea lumina talpæ.
Visu tuo cito corde repellito, radito, scalpe.

Si mala prodere, crimina rodere vis alienas
Nil tibi consulis, insuper exulis est tibi pœna.
Fert fera iurgia pungere turpia nunc vitiorum.
Est probra carpere, veraq; dicere, fons odiorum.
Est mihi sarcina qui mea crimina vel bene prodit,
Mens mala conscia luminis omnia rodit & odit.
Gens bibit ebria pocula noxia, pocula lethes,
Quæ morientibus invenit omnibus ille Poëtes.
Quisq; mali memor, unius immemor est pietatis.
Iustus eget lare, nemo boni dare vult modo gratis.
Singula censibus, omnia mercibus, at sine nummo
Nil, nisi nil, geris, heu casa pauperis est sine fumo.
Divitis atria seu laquearia celsa renident,
Mascula pignora primaq; rebera nunc sibi rident.
Accubat affluus, ambulat ardua ipse Liburno,
Et quoties placet in thalamo jacet altus eburno,
Mane coquos citat, & stomacho litat ilico taurum,
Mellea pocula, crassaq; fercula sustinet aurum,
Nox sibi somnia, sol dare prandia festa recurrit,
Par barathro gula, quid nisi sæcula tota liguvrit?
Nidor ei sapit atq; gulam rapit esca culinæ.
Sunt sua prandia fœnora, iurgia, lucra, rapinæ.
Est homo bestia, ventris & hostia, bestia nempe,
Ventreq; turgida, denteq; vivida, mortua mente.
Vult bona prandia, vult bona prædia, vult bona prata,
Vult bona pocula, vult bona fercula, non bona facta.
Res valet, æs sapit, his tumulos rapit arca diebus,
Lingua, scientia, vitaq; sobria nil sine rebus.
Munera ditibus, at flagra mitibus ingeminantur.

Iura

Iura minoribus, inferioribus arma minantur.
Omnia præcipit, insuper accipit omnia nummus.
Dives & inclytus, æreq; præditus, arceq; summus,
Terrea possidet, hæc sibi provident, auget, acervat,
Forte latronibus illa, vel hostibus aucta reservat.
Deniq; scrinia fracta, vel ostia plus magis aret,
Quam sua pignora, caraq; corpora si tumularet.
Secula circinat, impia ruminat, ima volutat,
Idq; per æquora, per juga, per fora, sidera mutat.
Trans mare nititur, exulat, utitur orbe recenti,
Dant sibi littora, dant maris æquora, non freta venti.
Res sibi frivola, mens sibi subdola, sors sua flenda.
Vendita somniat, empta perampliat, arcta timenda.
Lucra lucris parat, & gratijs arat illa vel ista,
Debita credita quaq; recondita divite cista.
Huic requiescere dulce sub agmine divitiarum,
Sæpe revolvere, diligit addere sæpius aurum.
Deniq; deficit, his quia proficit, aret inundans,
Mammona conditur, & sitis additur, ô sitis undans!
Fit sine nomine nominis omine Tantalus ille,
Sunt sua gaudia, lucra, pecunia, prædia, villæ.
Horrea construit, omnibus affluit unus opimus,
Ad bona serior, ad mala promptior, ad fora primus.
Dives ad omnia & est citus impia, tardus ad æquum,
Vt rosa cernitur, ut rota vertitur & sua secum,
Stans hodie cluit, ipseq; cras ruit, ipse sed alter.
Mane videt sua dives, & hæc eua vespere pauper.
Dormiet affluus, ilico mortuus omnia perdet.
Mox sua non sua latro feret, sua se necesternet.

Vt

Vt ſolium leve ſubtrahit ad breve fur ſua, mox ſe,
Deſerit omnia, tunc lucra noxia ſtant ſine noxa.
Quæ labor intulit eminus abſtulit una vel hora,
Divitis omnia quæq; nitentia, quæq; decora.
O ſibi flebilis, ô miſerabilis, ô miſer idem.
Quanto pecunia tanto moleſtia creſcit eidem,
Pertimet omnia, quem ſua copia reddit egentem,
Res ſua poßidet, angit & obſidet undiq; mentem.
Cura cor anxiat, angor inebriat, impedit error.
Pallet ei color, hinc dolus, hinc dolor, undiq; terror,
Somnus inania, multaq; ſomnia, nil ea præſtant,
Luce negotia, nocte minacia viſa moleſtant.
Scrinia frangere, cætera tollere latro videtur,
Dives egens tremit, & vigilans gemit, idq; veretur.
Illico ſurgitur, arca revolvitur, æs reperitur,
Noctis abit mora, lux vocat ad fora, merx ſtrepit, itur
Poſt lucra curſitat, in lucra militat, ad lucra ſpirat.
Spirat ad æquora nauta, pedes fora ſæpe regirat,
Per mala maxima, per flagra plurima vitat egere.
Fraudat & eripit, æs dat & accipit, æs novat ære.
Pauca ſuis dare, nil tibi Lazare, quærit avarus,
Fletus ineſt tibi, fletus erit ſibi. qualis? amarus.
Nunc locuples eat, expleat, impleat impia vota.
Poſt breve corruet, illaq; defluit area tota.
Quomodo glarea decidet area divitiarum,
Copia concidet, area decidet, & vir earum,
Lucra ruentia prætereuntia lucra patenter
Vult, voluit, volet, & colit & colet hæc homo ſemper.
Dum dabit Anglia lac, ebur India, Smyrna cicadam.

Per,

Per fora, per juga curret agens lucra plurimus Adam.
Lucra, pecunia, res, opulentia nunc dominatur.
O mala, lachryma pauperis optima nullificatur.
Plurima prædia sive peculia fraude lucratus
Nunc benedicitur, esseq; dicitur esteq; beatus.
Quisq; palatia vult sibi grandia, construit ædes,
Hic quasi propria secla per omnia sit sibi sedes.
Atria splendida, castraq; florida sunt rosa mundi,
Nemo perennia construit atria, terrea cuncti.
Pingimus atria turba nefaria, gens Cananæa,
Atria marmore forsan & arbore structa Sabæa.
Pingimus atria, Christus ad ostia nostra gemiscit,
Nos dape tendimur, & bene pascimur, ille famiscit:
Vos male crapula solvit, agit gula, tibia frangit;
Ille sitit, gemit, æstuat & tremit, & grave plangit.
Nos grave pascimur, ansere vescimur, ille nec ullo.
Ah reus ungitur, & Deus angitur, ordine nullo.
Nos ave, nos ove, nos sue, nos bove vescimur, hic non,
Pectora saxea stringit, & ærea viscera Dæmon.
Gens sumus ebria, gens sumus impia, dæmone plena,
Pessima natio, prava creatio, gens aliena.
Fercula plurima quærimus optima pocula ventri,
Vilia mittimus, immo relinquimus esurienti.
O mala secula! cur? quia singula nunc vitiantur,
Illaq; luxibus, improbitatibus ista ligantur,
Distat inops ruit, hunc populus spuit, excolit illum.
Stultus habens fremit, inq; probos emit ipse sigillum.
Ius perijt, quia lata patet via luxuriei,
Garrulitatibus, ebrietatibus, ingluviei,

Carnis

Carnis amantibus, ordinis hostibus, invidiosis,
Concubitoribus, irreverentibus, ambitiosis,
Nulla nefaria, nullaq; turpia non peraguntur.
Re modo prodita, non prius agnita voce geruntur,
Inguinalia vel furialia crimina fiunt,
Illa novissima tempora pessima jam patefiunt,
Iam meretricia pæne tubilia nil reputantur,
Et venialia, quod genialia sunt, vocitantur.
Frons perit omnibus in luxe stantibus, in probra stratis.
Quando boni minus, amplior aut sinus improbitatis?
Quando nefaria plus dominantia? quando malorum
Copia latior, aut fuit arctior area morum?
Si Deus impia, si capitalia cuncta juberet,
Quis vigilantius ista, quis amplius illa teneret?
Si scelus addere, sobria spernere jure liceret,
Quis magis adderet hæc, ea sperneret atq; careret?
Per varium genus omne caput Venus una sagittat,
Quæq; salubria, nemo nefaria promere vitat.
Ob mala grandia si modo præmia celsa darentur;
Non mala promptius, aut bona tardius appeterentur.
Dum loquor hæreo, non scio, non queo, non volo fari,
Fanda nefandaq; quis queat utraq; vel lachrymari?
Quæ rogo flumina, quæve volumina sint lachrymarum
Sufficientia, tergere turpia tot furiarum?
Si furialia dixero talia, non erit æquum,
Si scelus est minus, heu jacet eminus actio legum.
Carmen arans fleo, carmine non queo, non queo prosa
Tot mala dicere, probra retexere, ferre probrosa.
Plurima sunt ea, desit eis mea vox referendo,

Non

Non ea vocibus est pudor omnibus his retegendis
Deficiet scio charta, locutio, tempus, & hora.
Si volo tangere, si reprehendere vel graviora.
Musa quidem mea jam nimis est ea lassa notare,
Non tamen est ea progenies rea lassa patrare.
Ergo parum stylus, isteq; dactylus hic reprimetur.
Secula perdita post quoq; subdita Musa loquetur.
Alta per æquora currimus, anchora nunc jaciatur,
Vis vbi lenior, auraq; gratior ibit, eatur.

BERN. MORLANENSIS LIBER TERTIUS.

PErdita secula moribus æmula prævaluerunt,
Sunt sine nomine, qui sine crimine vivere quærũt.
Aurea secula, pacis & oscula deperiere,
Secula fœtida, secula perfida sunt modo verè.
Secula fœtida non voco sordida; sed voco mortem.
Sordibus afflua non voco mortua; sed voco mortem.
O mala tempora! perfida pectora nobilitantur.
Fraude carentia, criminis inscia bruta vocantur.
Fraus decus obtinet, arteq; præminet, arte potitur,
Quartus, homo sine mentis acumine vix reperitur,
Fraus ore simplice, fraus dupla duplice compta colore

Fert,

Fert dupla pallia, continet impia corde, melore.
Diploidem gerit, intus enim ferit, in cute ridet,
Scorpio fraudibus interioribus, ore renidet.
Hei mihi quo ferar? & queror & querar. ista querelæ
Subdita tempora perſequar ulcera clauſa medelæ?
Ardeo tarpere, cogor & edere non ſat honeſtè,
Plena furoribus hæc, ea ſordibus, omnia peſte.
Nunc Venus æſtuat, ira tumultuat, æs dominatur,
Norma relinquitur, unio ſcinditur, ordo fugatur,
Stat petulantia, deeſt reverentia, luxus inundat.
Sobrius indiget, hypocriſis viget, error abundat.
Præminet uncia, præſt opulentia, ſervit egeſtas,
Floret inertia, flet pia gratia, mœret honeſtas.
Flet ſacra regula, venditur infula, Simon amatur,
Fictio judicat, aureus emicat, arca minatur.
Qui tumet enitet, ars pia delitet, impia claret.
Pauperies ruit, affluus affluit, aridus aret.
Ius crucifigitur, ultio quæritur, arma renidet.
Iuſtior exulat, indignus ejulat, improba rident.
Gratia deperit, & pudor interit, occidit ordo,
Ordo relinquitur, & male pſallitur in decachordo.
Mens pia vapulat, utilis exulat, utile mœrcet.
Recta remiſsio fit ſimulatio, jus dolus arcet:
Ad probra cedere, turpeq; vivere dat modò quæſtum.
Ad probra turritur, utile perditur, aret honeſtum.
Stat ſchola criminis, occidit ordinis, ad mala ſtatur.
Impius ungitur, at pius angitur & lapidatur.
Falſa dat oſcula, vera pericula frater amico.
Lex ſacra rumpitur, & male ſubditur, æquus iniquo.

Stãt mala secula, stãt probra, stat gula, fra° stat, abit frõs
Dis flat, inops jacet, heu sapiens tacet, angitur insons,
Quisq; fluentia, nemo manentia curat habere,
Nemo salubria, spiritualia nemo videre.
Gens viget impia, vestesq; fulgida gens tenebrarum.
Cui sua condere, non sua tollere, nil dare clarum.
Quomodo vestibus hæc ita mentibus est variata,
Est vartabilis, est reprobabilis, est reprobata.
Adde quod algida corde, quod invida, plenaq; fellis,
Mutuo dissidet, opprimit, invidet, estq; rebellis.
Mundus ad omnia volvitur impia sordibus hirtus,
Crimen inhorruit, unica corruit unica virtus.
Innumerabile, debile, labile stat genus Evæ.
Dic mea tibia, tolle tragœdia flebile væ væ,
Gens male libera tendit ad infera calle sinistro,
Nil sibi debile, nil sibi flebile sole sub isto.
Sermo Dei tacet, ordo perit, placet alea fati,
Esse pium pudet, omnis homo studet impietati.
Per caput illius iste vel istius ille licenter
Iurat, & abnuit omne quod eruit irreverenter.
Depositum negat, utq; scelus tegat est sceleros̃us,
Non timet abdere rem, neq; tangere sacra probros̃us,
Quam malè conscius evolat ocyus, occupat aras,
Denegat abdita, quæ sibi credita, salva putaras.
Per sua lumina, per sacra numina, per crucifixum
Iurat alacriter, atq; procaciter urget idipsum.
Pejerat heu leve, sicq; lucrum breve fert homo fictus
Nec sibi criminis ultio fulminis irruit ictus.
Nec sibi pes dolet, ambulat ut solet alite dextro.

Omnia

Omnia prospera dat Deus, aspera nulla scelesto.
Stas tua quærere, quæris & addere monomachiam,
Duplice corpore conspicis assore sponte Goliam.
Te ferus opprimit, & tibi comprimit ora manusq3.
Vicit, inania sunt tua prælia, causaq3, jusq3.
Fit sibi frigida, fit sibi fervida lymfa probamen.
Id queq3 perferet, haud sibi proferet esse gravamen.
Omnia debita sunt sibi reddita voce, nihil re.
Ille tenet sibi, quam repetis tibi, rem tenet ille.
Transeo carmina, tactaq3 limina sortilegorum,
Transeo carmina, vel speculamina machanicorum.
O facimus grave, vir putat ex ave facta doceri.
Pennaq3 vulturis exprimit augaris omen haberi.
Dextera plaudere, levaq3 plangere pennula tradit,
Gracculus obviat, ille repatriat, ardea vadit.
Stella comas dedit, ille cito redit in sua castra,
Fata sit inscius, est liber illius ales & astra.
Hactenus hæc satis. Vlterius ratis hinc mea tendat.
Quæ mala, quæ rea, quæ nigra, quæ mea vox reprehendat
Mens mea conscia fraudis & inscia sorte sub æqua,
Vt malus est bonus, est bonitas onus, ô via cæca!
Fratris amor ruit, atq3 Dei fluit, est modo ventris
Curaq3 plurima, corporis ultima, nullaq3 mentis.
Stat Schola criminis, & sitis inguinis, atq3 palati,
Damna pudor pavet, ah probitas favet improbitati,
Vir sine crimine lite, cupidine, fellèq3 pingui
Est, neq3 mentior, est bove rarior ille trilingui,
Ocyus aliger hircus, olor niger invenietur,
Ante triceps pecus, ante biceps equus exorietur,

Crimine plectitur & cruce sternitur æquus iniqui.
Et nimij modus, & reprobi probus, ordoq; ficti.
Gens Belial sine rege vel ordine q ui sua quærunt,
Quæ Domini minus est pudor eminus, æqua rueruntt,
Flura nefaria, major inertia non fuit unquam,
Qui rosulas petit, innumeram metit heu saliuncam.
Nemoq; talia. tanta, tot impia vellere curat.
Nemo sat imminet, ut bona seminet, ut scelus vrat.
Sobrius actibus est grauis omnibus, omnibus unus,
Nilq; superfluus est quasi mortuus, est quasi funus.
Vix stat in agmine legis agens bene jota vel vnum,
Qui reprobet probra, qui faciat bona nullus ad unum.
Stant fera vulnera, nullaq; dextera, vel prope nulla;
Vel mala vellere, vel bona ponere suscipit ulla.
Grex flet amarius, est operarius in grege rarus,
Pontificum status excidio datus extat avarus,
Sterilite sternite, gutture sospite Pseudomagistri.
Vestraq; stent prius, ordo jubet pius, hinc lucra Christi.
Solvit inertia, luxus & ocia, cum grege clerum.
Nunc gula regula, vox sacra fabula, fabula verum.
Vis bona dicere, diceris edere gesta novella,
Risus es omnibus, & quasi cornibus hirta capella.
Ius ruit, æs viget, ah pudet & piget esse pudicum.
Floret honoribus, affluit omnibus ausus iniquum.
Ausus atrocia, nescius ocia ferre vir extat.
Exprimit Hectora qui fera pectora, crudaq; gestat.
Accipis atria, nomina, prædia, si scelus audes,
Pocula mellea dat, replet horrea, tendere fraudes,
Vis tibi culmina, suggere crimina, cernere pare,

Da, rape, fer, preme, frange, tona, freme, frãge, minare
Crimina culmine, culmina crimine plena feruntur.
Fers fera cornua, culminis ardua quære, dabuntur.
Barba vocabere, sceptra lucrabere, si mala quæris.
Si mala præficis, & bona deficis, antefereris.
Vnus iners homo nomen habes Dromo; si male vivis.
Si malè, rex eris, æquiparaberis ordine Divis.
Tisiphone fremit, heu nocet & premit esse benignum.
Ars mala te beat, atq; ducem creat, haud duce dignum.
Arce levaberis, unus eras, eris altus, opimus.
Altus honoribus exterioribus, ordine primus.
Si prior incipis impia, principis ad latus ibis,
Principis ad latus ibis, eris, status his, tremor illis.
Consiliarius, atq; vicarius, & lateralis
Regis habeberis, atq; foveberis illius alis.
Qui bene vivere vult, ruit aggere, qui secus, est rex.
Frons perit & pudor, ira stat & furor, ordo flet & lex,
Impatientia, fraus petulantia fert, ferit, urit.
Schismata, fœnora, ferrea pectora, mors ita currit,
Mortua regula, fictio, crapula, flet, tegit, arcet.
Vivere noxia cor leve sobria, jus ita marcet.
Qui bona spernere, spreta retundere non dubitavit,
Qui mala prætulit, is lucra rettulit, æs cumulavit.
Accipe, tertius est tibi filius, ille probatur,
Qui bona despicit, & mala perficit, & mala fatur.
Qui crucis omnia divaq; brachia, membraq; jurat,
Se quoq; grandior, & sene cautior ad mala durat,
Cætera pignora vivere corpora mortua mœres,
Cui nihil est Deus, hic aũ est meus, hic erit hæres,

Qui sine cornibus, aut sine cordibus appetit esse,
Vel sine dentibus, eligit omnibus iste subesse.
Qui furit & ferit, ille decus gerit, ille fit ille.
Qui timet & tacet, hic flet, eget, jacet umbra favillæ.
Dum loquor hæc fleo, flendo dolens eo, plango, gemisco,
Hæc flea culminis illa libidinis oblita visco.
Secula culminis hinc amor, inguinis inde sagittat.
Stat Venus ignea, nemoq; carnea vincula vitat.
Heu modo qualia, quanta, quot impia, quæq; nefanda
Gens agit ebria, turba præimpia, turba cremanda.
Membra libidine, pectora crimine polluit, urit,
Inguialia laxa per omnia crimina currit.
Omnis in omnia deniq; turpia gens modo jurat.
Quisq; nitescere carne requirere carnea curat.
Ordinis agmina claudite lumina, nec minus aures,
Ne rogo credit, credere parcite res stabulares.
Parcite credere, quæ pudet edere, sed tamen edam,
Horrida nomine, plus mala crimine crimina quædam.
Heu malè publicus est Sodomiticus ignis & æstus.
Nemo scelus tegit, aut premit, aut fugit esse sceleſtus.
Ad fera crimina claudite lumina quotquot adestis,
Fit furor impius, est ubi conscius, est ubi testis.
Inguialiter & furialiter ille fit illa,
Iuno relinquitur, ipsa repellitur & Petronilla.
Plangite secula, plangite singula crimine plena.
Mas maris immemor, ô furor, ô tremor! est ut Hyæna.
Aspice sordibus inguinalibus aspice multos,
Quo scelus ordine, quo noto nomine? nempe sepultos.
Criminis istius heu sonat impius horror ad astra.

Nuda

Nuda fit actio, vociferatio, mens geme casta,
Mutuo conscius ille fit illius, istius iste,
Est prope mortua lex tua, vox tua, fors tua Christe.
Lex Sodomæ patet, innumerus scatet heu Ganymedes,
Dum scelus exhibet, hæc fera quaslibet incolit ædes
Prima sedilia, culta cubilia sunt Ganymedis,
Iuno relinquitur, & capra subditur, ô furor! hœdis.
Si numerum gregis istius exigis, ocyus edo,
Eloquor ocyus explico promptius ore tragœdo.
Quot seges hordea, pontus & ostrea, littus arenas
Cycladas, arida thura dat India, Tibur avenas.
Castra suburbia quippe sacraria non minus undant.
Hac lue sordida, proh dolor! horrida cuncta redundant.
Mundus iners perit, horrida vult, gerit horridiora,
Sulphure pascitur, esseq3 cernitur una Gomorrha.
O furor ultimus est modo plurimus Hermaphroditus,
Reddit mania conjugialia pacta maritus.
Inguialia crimina stantia regula mœret,
Lepra minoribus & potioribus ista cohæret.
Lex genij perit, usus & interit hac lue motus.
Nescit eam pecus, aut canis, aut equus, aut homo totus
Semimares voco, semiviros probo se maculantes,
Debita sexibus inferioribus heu sibi dantes,
Hæc nimis effera crimina cætera justificarunt,
Myrrha, Iocastaq3, Phædra, Lyciassaq3 jam sibi plaudunt.
Gens animalibus insipientibus assimilanda,
Plus animalibus insipientibus est reprobanda.
Bestia non sapit, & tamen hæc capit hic rationem.
Vir sapiens sapit, & minimè capit hic rationem.

Ætheris agmina, celsaq; numina quando videtis
Talia crimina, cur fera fulmina, cur cohibetis?
Ætheris agmina celsaq; numina num vigilatis?
Crimina talia, tot furialia cur toleratis?
O Deus, ó Deus! ut quid in hoc reus est tuus orbis,
Cur tibi perditus, & sibi traditus his modo morbis?
Cur tua plasmata sunt vitio data tam furiali?
Cur tua plasmata crimine perdita, crimine tali?
Vos mea lumina, tam fera crimina stantia flete,
Flete per omnia, gens bene conscia, flendo dolete,
Luxus & otia crimen alentia, proh dolor, undant;
Plurima turpia, ne loquar omnia, nunc superundant.
Omne bonum ruit, omnis homo fluit in probra fractus.
Omne ruit decus, in pecudes pecus est homo factus.
Mors premit omnia, vitaq; sobria clamat obivi.
Facta vigent rea, mortua lex mea parcite Divi.
Clamat amor pius, ó fera totius orbis imago,
Heu modo qualia, quanta, quot impia, quæve vorago!
Crimina plurima, crimina pessima sunt patefacta,
Nec prius agnita, nec prius edita, nec prius acta.
Polluit aëra, dicere tam fera, tam ferienda,
Tam stabularia, tam furialia, tam reticenda.
Plus pudet edere, desino solvere talibus ora,
Plurima diximus hic, neq; novimus his graviora.
Iam mea pagina talia crimina iam reticescat,
Lubrica pandere, cor sine pondere frangit, inescat.
Quis probra talia, tanta nefaria, totq; venena,
Quis ferat edere? non ego paupere pauper avena.
Et Maro deficit hic, neq; sufficit os Ciceronis,

Naso

Naso retunditur, avida redditur unda Salonis,
Ora trilinguia, vociferantia, da mihi centum,
Non tamen omnia proloquar impia facta potentum.
Musa tamen mea percipiens ea, carpere tendet,
Si nequit impia sternere, stantia vel reprehendet.
Nam modo quis sine mortis imagine? num gravis ætas?
Et levis est mea, nec vetitis rea vult dare metas.
Num puer? at puer est vitio celer, est sine loris.
Num juvenum valor? at juvenes calor urit amoris.
Num vir? at omnia facta virilia vir fugit omnis.
Corda fleant pia cur? quia stat via perditionis,
Stat via latior, area largior impietatis,
Ad scelus omnibus omne ruentibus ad mala stratis.
Gaudia lubrica, lucra volatica sola putantur,
Vt mare fluctibus, omnia pestibus exagitantur.
Vela Notus ferit, Ecclesiæ perit unica navis,
Credita patribus, ad bona segnibus, ad mala gnavis.
Mersa reatibus, orba regentibus, acta procellis,
Obruta fraudibus, obruta litibus, obruta bellis.
Dormit in æquore, despicit affore cœlica dextra,
Scandala fratribus intus agentibus, hostibus extra.
Nemo per æquora remus & anchora navis habetur,
Crimine mergitur, ordine scinditur, hoste repletur,
Per mala plurima, per probra maxima mersa debiscit.
Ventus agens mare perstitit hanc male vincere, vicit.
Vox sonet anxia, celsa potentia surge, perimus.
Nos fer & erige, ne sine remige, gens tua simus.
Se sacra concio, se generatio sacra reflammet,
Clamet ad æthera, crimine libera, mens pia clamet:

Surge pessime, flumina reprime, frange procellas.
Des mihi pectora, des bona tempora, crimina pellas.
Esto memor gregis, hunc rege qui regis ætheris aulã.
Reprime flumina, tantaq; flamina confer in auram.
Pax aquilonibus aufugientibus adsit ab Austro,
Integra deforis impia pectoris insita claustro.
Surge, quid omnibus, heu, pereuntibus in lue, dormis?
Viuitur omnibus & sine legibus, & sine normis.
Parca præit manus, esurit orphanus, hostis abundat.
Dæs mihi, de tibi quisq; cauet sibi, ne sua fundat.
Grandia pondere quisq; recondere lucra laborat.
Æs quasi numina gens adamantina seruat, adorat.
Quisq; pericula moribus æmula vult. lucra dico.
Robora languida floreq; florida lilia sicco.
Ordinis & valor, & rigor & calor est tepefactus.
Proh furor vltimus! in lucra vendimus ora, cor, actus,
Ad bona cludimus, at mala vendimus osq; manumq;.
Plebs emit insciа, stulta peritia vendit utrumq;.
Stulta peritia lucra scit impia, cætera nescit,
Vatis imagine, carnis acumine quisq; tumescit,
Quis modo cœlica, quis studet Ethica scripta doceri,
Ore quis edere, corde reponere carmina veri?
Qui bene disputat, & cito computat arte scholari,
Non petit actibus, at petit artibus Abba creari.
Garrula Socrate, curva sophismate qui gerit ora,
Iactat acumina, vult sacra culmina se potiora,
Per sua grammata siue sophismata pontificantur.
Nec sit ad æthera pons, sed ad infera porta levantur,
Quatriuij leue, quadriuij breve dogmata legit,

Ardua

Ardua postulat, arduus ambulat, ut leo pergit.
Fert fera pectora qui scit Agenora, qui Melibœum,
Qui metra Sapphica, qui malaciuica, qui Conopœum.
Pristina grammata, prisca poëmata, prisca Thalia,
Sunt modo maxima, suntq; peroptima Philosophia,
Gregorius meus, immo tonans Deus illius ore,
Serò reuoluitur & citò clauditur absq; fauore.
Sed sua gloria secla per omnia fine carebit,
Mundus enim canet, & sua laus manet atq; manebit.
Iam stylus aureus eius & igneus haud morietur,
Aurea pagina per sua germina suscipietur,
Ille Platonibus & Ciceronibus ad stiga raptis,
Raptus ad æthera viuit, ad ubera stans Deitatis.
Hic specialiter atq; fideliter est relegendus,
Sed Stylus Ethnicus atq; Poëticus abijciendus.
Dant sibi turpiter oscula Iupiter & Schola Christi,
Laus perit illius, eminet istius, & honor isti.
O mala secula! cur? qui fabula præest modo vero,
Vita ruentibus est modo plebibus, est mala clero.
Militat inguinis atq; libidinis una voluptas,
Cumq; pudor labet, ipsa vias habet unica ruptas.
Non modo plumbea, sed jacet aurea tela cupido,
Perdidit omnia lite superbia, sorde libido.
Hæc duo retia sunt capientia jam prope cunctos.
Tam sibi crimine, quam sibi sanguine, carneq; junctos,
Hæc draco suggerit, hæc caro digerit, his cor obedit,
Hæc meditatio, dextra locutio vult, agit, edit.
Sic scelus exerit, explicat, ingerit Eva, vir hostis,
Mens jacet ignibus usta patentibus, usta repostis.

Turpia

Turpia quilibet eligit, exhibet, explicat, audet,
Audet, amat, gerit, indicat, exerit, indeq; gaudet.
O furor, ô tremor! ô quid agam? cremor intro, tacebo?
Corde tacès coquar, improba tot loquar, aut cohibebo?
An dabo versibus? hinc eo pluribus ipse jocosus,
An loquar auribus? ibo nocentibus hinc odiosus.
Res fera dicere, sed reticescere crimina crimen,
Mens mihi dicere, non reticescere mens mihi crimen.
Stant modo stantia, criminis omnia crimen ubiq;
Nil Venus aut gula frena tenent sua, calcar utriq;
Quod libet hoc licet, instat ut explicet improba quisq;
Plebs it euntibus ad mala patribus, error utrisq;
Pontificum vigor aret, abit rigor, arida dextra,
Mens mala cogitat, os scelus incitat, intus & extra.
Cessit Episcopus, est q; Dei domus absq; decore,
Zelus & igneus, arcus & æreus absq; rigore,
In mala stemmatis, haud anathematis insonat arcus,
Stirpe tumentibus, ære fluentibus est cito parcus.
Est cito flexilis in mala nobilis & generosi,
Pertimet illius æs, genus iſtius & scelerosi.
Nullius ulcera perfodit aspera, vox face zeli,
Crimina maxima sunt proba plurima, plurimus Heli
Se simul obruit is, quia noluit acta suorum,
Et pater occidit, & bona perdidit illa bonorum.
Iezabel impia ducit in invia, nullus Helias,
Quo duce justior, accumulatior hospite fit.
Sola colentibus infima patribus Ecclesiarum,
Mors furit intima, nempe gravissima mors animarum
Res lachrymabilis est via præsulis, ut via plebis.

Secu-

Secula consule, secula præsule nuda videbis.
Si bona promere, cætera tergere præsul's extat;
Fugit Episcopus, est mitra, decst opus, hinc ea præstat.
Si ducis est bene subdita ducere; dux modo nemo.
Si ducis est bene subdita ducere; dux perit ergo.
Res caret indice, dux grege, grex duce, plebe sacerdos,
Plebi patre, plebs ruit, & dominos luit arce superbos.
Agmina nescia cogis in impia, tu Draco cogis,
Probra foventibus atq; faventibus his pedagogis.
O nigra lacryma sunt gregis optima quæq; vorantes,
Nocte canes sine sollicitudine, luce latrantes.
Qui modo culmine sunt ita crimine sæpe priores.
Infatuant malè corda suo sale, schismate mores,
Cæcaq; lumina dant super agmina cæca ducatum.
Qui præit & subit in foveam ruit, inq; reatum.
Hos vigiles nego, damnoq; non ego, sed sua merces.
His timor edere jus, probra cedere, tergere faces,
Vrere putrida, tollere morbida, querere fractos,
Hos Satbanæ dare, quos liquet in mare mortis adactos:
Verba minacia, facta rapacia ferre, ligare,
Fluctibus obvia tendere brachia, pro grege stare.
Grex pius esurit, atq; fames furit unica verbi.
Pauca mali sine fructificamine dant fata servi.
Lingua probabilis, est reprobabilis actio patrum.
Ianua clauditur, his neq; dicitur euge beatum.
Dogmata cœlica rarò famelica turba docetur,
Non lucra stantia, sed pereuntia lucra monetur.
Dum bona negligit, impius eligit ordo regentum,
Abdere stercore, quam grave! fœnore ferre talentum.

sæpe

Sape Neophytus, aut puer obſitus aggere culpæ,
Frons ſine lumine, plenaq; crimine, plenaq; vulpe,
Præfit honoribus, & pater omnibus eſt adoleſcens,
Nec ſene tempora, nec patre pectora laxa coërcens.
Is ne ſtudet precor Eccleſiæ decor ac paranymphus,
Panis egentibus & ſitientibus affore ſcyphus.
Qui lucra colligit, & malè porrigit illa miniſtris,
Qui puerum ſapit, bis dat eis rapit, omnis in iſtis,
Scit tibi præfore, qui ſibi præfore vel bene neſcit,
Cui gena maſcula, barbaq; primula vix bene creſcit.
Turba Neophyta fert ſacra vendita, res mala talis.
Eſt modo regia, cras ſibi gratia pontificalis.
Mane vir aulicus, aſpice clericus eſt modo tonſus,
Ventris Epiſcopus, Eccleſiæ procus eſt, neq; ſponſus.
Ad ſacra culmina deniq; crimina ſuſcipiuntur.
Sobria pectora, canaq; tempora reÿciuntur.
Horreo dicere, parco retexere, vito profari
Plurima quæ ſcio cognita, neſcio ſat lacrymari.
Obtinet atria pontificalia fœda iuuentus.
Corpore lubrica, corde volatica quomodo ventus,
Clarus origine, ſiue propagine clarus auita,
Expetit atria pontificalia vi, neq; vita.
Sanguine nobilis, & minus vtilis ad lucra moris,
Sanguine dimicat, hic ſibi vendicat illud honoris.
Quilibet improbus extat Epiſcopus, abba creatur,
Vi, precio, prece, dignus homo nece, ſceptra lucratur.
Nullus ei tremor, haudq; ſuæ memor, eſt aliarum,
Non ſine Simone, ſed ſine Canone, dux animarum.
Mox docet inſcius, & ſibi neſcius ipſe præeſſe,

Eſt

Est aliis via, si tamen est, quia dicitur esse.
Ipse laboribus ipse reatibus est fuga, fulcrum.
Huic replet altile ventris inutile mane sepulchrum.
Ad lepores probus exit Episcopus, accipitratur,
Copula soluitur, & fera quæritur, atq; citatur,
Ergo nitens equus, addit ei decus, atq; decorem,
Quo neq; Græcia, sed neq; Thracia det meliorem.
Miles obambulat ut latus excolat associatus,
Forte nec unicus est sibi clericus allateratus.
Iam tuba detonat, & nemus intonat, Echo resultat,
Incidit obuia damula retia, quam fuga multat
Sero latrantibus, exilientibus hinc repetatur.
Nox subit algida, cœnaq; splendida nocte paratur.
Caupo Falernica, vel Mareotica vina refundit,
Cœna fit affluа, pastor ad ardua fulcra recumbit.
Est cibus undiq;, tunc ibi deniq; pastor habetur,
Vera vocabula pasta cibis gula re profitetur.
Sed sua pascua non nisi menstrua sunt animarum,
Solaq; funera, solaq; munera primitiarum,
Quid mora? pascitur, est quia dicitur, & sibi pastor.
Assa subit fera, caupo parat mera, cætera pistor,
Cinctus agit cocus, ipse nitet focus, omnia rident,
Atria lumine, nec minus agmine plena renident,
Sunt holouitrea nec minus aurea vascula coram.
Hic data fercula, sunt ibi pocula, fastus ad horam.
Damula manditur, insuper additur altile crassum,
Additur altile, mensæ volatile suscipit assum.
Vina fluunt mera, firmior est fera, plorat egenus.
Ventris episcopus ordine reprobus est dape plenus

Surgit

Surgit homo ſatur, ad cyathos datur inde recurſus;
Fit nova potio, cui benedictio ſit nova rurſus,
Gutture ſoſpite, ſtanteq; gurgite, ventris anhelat,
Geſtaq; ſtrenua narrat, & ardua corda revelat.
Nectare plenior, & dape pinguior eſt Epicurus.
Hac teritur cruce, prò grege pro duce vota daturus,
Ad penetralia, ſtrataq; mollia ſacrò vocatur,
Lampas, & aureus hinc ſibi cereus ante locatur,
Serica pallia, fulcraq; mollia vernula vertit,
Carneus hic globus, & reprobus prob⁹ ad probra ſtertit.
Mane fremit domus Eccleſiæ, procus exit ad ædes,
Eccleſiam petit, ut minimum ſtetit, eſt ſibi ſedes,
Grande tonantia pontificalia verba perorat,
Pectoris aſpide mens rea, jaſpide dextra laborat.
Inde gregem præit, hinc Aaron vehit & diadema,
Mitra caput colit, atq; manum polit indica gemma.
Pro patre præſule, pro duce conſule, pro grege, pro ſe,
Non ſatagit prece, nec rapit à nece flendo ſuos, ſe.
Parcaq; notio, parcior actio legis eidem,
Voce Deum probat, actibus improbat, improbus idem.
Vox eget actibus, actio vocibus, ordo labore,
Vivat uti monet, oſq; manu ſonet, & manus ore.
Sit ſacra regula, quem tegit infula pontificalis,
Debile fulciat, & rudè nutriat omne ſub alis.
Culpa patrem ſciat, actio ſentiat æquâ miniſtrum,
Ordo parem ſciat, actio ſentiat orba magiſtrum.
Laus ſibi tortio, pœna probatio ſit reproborum,
Clauſtra gregi ſtruat, & vitium ſpuat, aut vitioſum,
Scala ſit æthe ris, arca fœderis, hoſtia viva.

Quos

Quos foris aſperat, ultio perforat, intus oliva.
Pax patre, judice fraus, tumor obice, grex patre tanto
Floreat, exulet, occidat, ambulet ordine ſancto.
Virgaq; ferrea frangere terrea vaſa minetur,
Increpet, arguat, obſecret, inſtruat, auxilietur.
Vrat inutile, quin ſuper utile ponat honeſtum.
Nocte gelu ferat, atq; die gerat ut Iacob æſtum,
Sint vigilantia, ſint ſibi neſcia lumina ſomni.
Sit ſine vulnere mens, ſine munere ſit manus omni.
Vox legion ferat, & labor inſerat huic humerale.
Gallus eat bonus, adſit ei ſonus oris & alæ,
Quæ reticeſcere, quæ, quibus edere, cur, ubi, quando,
Proſit, oporteat haud male torpeat in meditando,
Larga manus ferat, haud animam gerat actus avaram,
Mentis aromata, vel thymiamata, portet ad aram.
Sit ſacra buccina, vivaq; pagina, ſit ſpeculator,
De grege gaudeat, in grege luceat auctus & auctor,
Pictor imagine, ſignifer agmine, dux grege ſcitur,
In grege dux placet, in duce grex jacet, aut ſtabilitur.
Eſt bona filia, notio, gloria, gemma parentis,
Plebs bona præſulis, urbs bona conſulis, ars bona mentis.
Secula priſtina non modo culmina non rapiebant,
Sed ſibi præbita non ſibi debita nil retinebant.
Patria dextera qui regit æthera, cum peteretur,
Rex fore noluit, ut liber inſtruit & profitetur.
Noluit extima qui Deus intima regna gubernat.
Spernat homo reus, id quod homo Deus, & bene ſpernat
Subdat honoribus interioribus exteriores,

Non sterileſ emat, aut sterileſ premat orbis honores,
Sed quis eos premit, omnis eos emit, inſtat emendo,
Inſtat, it, æſtuat atq; tumultuat hæc ſatagendo.
Hinc fera ſchiſmata, dum diademata ſacra petuntur,
Nec bene præbita, ſed male vendita præripiuntur.
Eccleſiaſtica dat manus aulica: juſſio legum,
Sacra relinquitur, atq; requiritur impia regum.
Cœlica munera, quam grave! dextera dat laicalis,
Dat data cœlica vox prius aulica, poſt Synodalis.
Grandis abuſio, regia iuſſio prævalet, itur,
Sic homo culmine, ſi minus ordine, lite potitur.
Munera munere cœlica tollere ſtat modo cuiq;,
Qui dat & accipit hæc, male deſipit, error vtriq;.
Hæc ſine Cæſare ſacra iubet dare gratia gratis,
Ne male venditor ille ſit, inſtitor hic pietatis.
Heu draco fulmina per ſacra culmina ſparſit ubiq;,
Primo patres capit, inde greges rapit, inſtat utriq;.
Pacis ouilia ſacraq; munera Chriſte tuorum,
Dum videt invidet, inſtat & obſidet agmen eorum.
Stat modo mammona, deſleo Simona jam repara-
tum,
Stant lucra Simonis, alea dæmonis in grege patrum.
Sceptra magus gerit atq; graui ferit omnia morte,
Viuit adhuc magus, atq; ſuo vagus errat in orbe.
Viuit & imminet, ut mala ſeminet, & bona vellat,
Ducat in invia ſuggerat impia, recta repellat.
Vox rata Simonis, irrita canonis ecce tenetur,
Vivere mortuus hoſtis & arduus ire videtur.
Simonis oſſibus in ſenioribus eſt data tumba,

Gratia

Gratia venditur, unica tollitur ære columba.
Stat furor editus, ordoq; perditus, immo sepultus,
Venditor hinc ovis, inde sacri bovis est modo multus.
Simplicitas ove, sermo Dei bove significatur.
Venditor istius omnis, & illius æde fugatur.
Venditor est reus, huic loquitur Deus ipse, Recede.
Hunc fugat agmine, dejcit ordine, pellit ab æde.
Vendis inanibus utraq; laudibus, utraq; donis,
Quid super his petis? aure lucrum metis, ore reponis,
O via devia! non modo gratia gratis habetur.
Vi male tollitur, oreq; poscitur, ære tenetur.
Gratia vendita gratia tradita vi feritatis,
Non fore gratia, sed violentia cernitur actis,
Gratia gratia quam parit unica ternaq; marcha,
Gratia nomine stat, jacet ordine, foni sinus arca.
Gratia quæritur ore, capessitur ære petita.
Esse quod est nequit, hanc tribuens petit æs Giezita.
Ære Magus perit, æs Giezi gerit, ambo nefandi.
Ille repellitur, isteq; cæditur ulcere grandi.
Mors manet illius, & color istius omnibus hærens.
Mens quibus est rea per lucra terrea surgere quærens.
Hic male surgitur, hic citò sumitur alta ruina.
Est gravis hic thronus, hic honor est onus, hæc rosa spina.
Est tibi sarcina qui tua crimina sive tuorum,
Tergere despicis & minus aspicis ad lucra morum.
Est tibi gloria, qui mala propria, qui gregis æque,
Stas stipe tergere, stas prece tollere, nocte dieq;.
O mala secula! venditur insula pontificalis,

Regula perdita, pravaq; semita semita talis.
Gratia venditur, emptio quæritur Ecclesiarum,
Quæ tamen emptio sacra redemptio fertur earum.
Gens cupidissima, crimina pessima recta perorant,
Simonialia nempe negotia voce colorant.
Et sacra vox ait, inde lupus trahit, hinc rapit agnos.
Nemo repellere stat, grege paupere flente, tyrannos.
Quisquis ovilia spiritualia pascere debet,
Pascitur, accipit, his bona diripit, his ea præbet,
Gaudet arundine, non moderamine pontificatus.
Siccus oves rigat, immeritos ligat, ipse ligatus.
Mortua vivida, sanaq; morbida censet haberi.
Inde lupū tremit, hinc furit, hinc fremit in grege cleri.
Sunt modo mollia, non sibi fortia corda leonis,
Hæret in obvia tollere brachia, parcere pronis.
Cumq; cadens cadat, ordine degradat ordine stantes,
Degradat, invidet, atq; labans videt ipse labantes,
Estq; favoribus & popularibus undiq; linguis
Expositissimus, ad mala plurimus, ad lucra pinguis,
Se male possidet, atq; suæ studet haud bene famæ,
Cui tepor ordinis atq; libidinis undiq; flammæ.
Hos premit, his favet, in mala nil cavet ipse relabi.
Vult celebrarier, atq; vocarier in grege Rabbi.
Audit ave prior, hinc thronus altior, altaq; sceptra,
Primaq; fercula, primaq; pocula, prima cathedra.
Crimina vindice, culpa q; judice non ruit illo.
De grege se fovet, hinc lacrymas movet huic crocod ilo.
Lac sibi tollitur, atq; resumitur à gege lana,
Nec gregis ulcera flet, neq; funera quatriduana.

Osti-

Os timor obstruit, & lupus irruit, intrat ovile,
Ille furens furit, iste manens fugit, hic sibi vile.
Per sibi pervia pastor ad ostia, fur aliunde,
Lex mala furibus, his subeuntibus, intrat abunde,
O mala secula, venditur infula pontificalis:
Infula venditur, haud reprehenditur emptio talis.
Venditur annulus, hinc lucra Romulus auget, & urget.
Est modo mortua Roma superflua, quando resurget?
Roma superfluit, arida corruit, afflua, plena:
Clamitat & tacet, erigit & iacet, & dategena.
Roma dat omnibus omnia dantibus. omnia Romæ
Cum precio, quia iuris ibi via, ius perit omne.
Vt rota labitur, ergo vocabitur hinc rota Roma,
Quæ solet ubere laude frageſcere ſicut aroma.
Roma nocens nocet, atq; viam docet ipsa nocendi,
Iura relinquere, lucra requirere, pallia vendi.
Sæpe Notarius est ibi carius emptus, ut illa,
Quæ cupis exaret, & sacra præparet ipse sigilla.
Si tua nuncia prævenit vncia, surge sequaris,
Expete limina nulla gravamina iam verearis.
Quam sapientia non valet, vncia dat tibi pacem,
Vncia fœderat, vncia temperat ore minacem.
Aurea lamina dat tibi lumina cæca Quiritum,
Ostia pervia, verbaq; Tullia, cor stabilitum.
Si datur uncia, stat prope gratia pontificalis.
Sin procul hæc, valet hæc ibi lex, manet & schola talis.
Ergo prior tua dextera mortua læva vocatur.
Sparsa per extera iam tua dextera læva vocatur.
Dives es indiga, pinguis es arida, libera servis:

Libera subderis, ære q̃ venderis ipsa poterius.
Sæpe revenderis, hinc reprehenderis ore Iugurthæ:
Trænsita vocula, longaq̃ fabulā persequitur te.
Scylla vorax rapis, & cupis & capis, & trahis ad te.
Roma ruens rota, fœda satis nota cauteriat te.
Gurges es altior, arca voracior, alta lacuna,
Insociabilis, insatiabilis, omnibus una.
Quo bibis amplius, hoc inhiantius, huc date, clamas,
Dic rogo sufficit: at mihi deficit, ipsa reclamas.
Si tibi det sua, non repleat tua guttura Cræsus:
Marca vel aureus amodo, non Deus, est tibi Iesus.
Vrbs caput urbibus, alta Catonibus, inclyta Scauris,
Vrbs cupidissima cur lucra maxima jugitur hauris?
Plus tibi Cæsare sustinuit dare rex crucifixus.
Regna dat extera Cæsar, at æthera non nisi Christus.
Alta Catonibus ac Scipionibus invaluisti,
Robore fractior es modo fortior ordine Christi,
Sub Iove florida, sub Iove fulgida, sub Iove dives,
Sub cruce marcida, diruta, languida, sub cruce vives.
Indiga divite, languida sospite, diruta stante,
Es magis afflua, fortis & ardua stas cruce dante.
Sub cruce tartara, sub Iove barbara mœnia sternis,
In Iove perderis, in cruce jungeris ipsa supernis.
Interius cluis, exterius ruis in dominatu.
Vrbs sine compare sub duce Cæsare, subq̃ senatu,
Nunc aliquis ducis, unica lux crucis, unica præstat,
Cæsaribus Petrus, atq̃ Dijs Deus altior extat.
Crux tibi prævia, crux tibi gloria, gemmaq̃ frontis.
Certa redemptio non cruciatio jam modo fontis.

Iam

Iam cruce crux caret, hæc tibi dux manet ad bona cœli
Mors erat est decus, est Sathanæ metus arma fidelis.
Roma Petro data, voce Petri sata, subdita Christo.
Quæ noto carmine cur bona crimine perdis in isto?
Istud agis male quod prope nil dare vis nisi danti,
Quod sacra nomina das, sacra culmina lucra paranti.
Cur lucra respicis & minus inspicis alta magistra?
Petrus Apostolus haud homo subdolus horruit ista,
Ista horruit, insuper obruit ista colentes.
Corde Petrum gere Roma vias tere recta sequentes.
Plus tibi contulit amplius attulit hic Idiota,
Per sacra retia quam tua Græcia, Græcia docta.
Plus tibi profuit & tibi præbuit ille sagenâ,
Quam capitolia Cæsare fortia, Rhetore plena,
Ense q; Iulius, ore q; Tullius haud tribuerunt,
Quanta Petrus cruce, quiq; Petro duce te coluerunt.
Sunt tibi lilia, sunt tibi milia multa rosarum,
Illa vel has lege Roma nitens grege relliquiarum,
Elloquio schola martyrio stola pace ligustrum,
Te docet, imbuit, ornat, ab his ruit omne vetustum,
Te sacra pignora, sacraq; corpora Roma perornant,
Te rosa sanguine, lilia virgine mente coronant.
Non sacra culmina dant tibi nomina vana Catonum.
Te Petrus extulit, & tibi se tulit ipse patronum,
Nomine prædita, crimina perdita Roma stetisti,
Nunc petis æthera, servaq; libera subderis isti.
Cornelijs nimis & Fabijs satis alta trecentis,
Altior istius istius unius es documentis,

Ne rueres ruit, alter enim fuit & tibi Paulus,
Alter adest tibi vir minimus sibi, cur? quia Saulus.
Deniq; pertulit ipse quod intulit ob mala Sauli,
Saulus atrox ruit hunc lavat & luit hostia Pauli.
Hi duo lumina, vel duo flumina jam Paradisi,
Ad tua limina sunt tua crimina tergere missi.
Hi tua mœnia reddere fortia plus potuerunt,
Quam quibus edita primitus addita, deinde fuerunt,
E quibus æmulus impia Romulus arma citavit,
In sua viscera jussit & effera jussa patrauit.
Roma resurgito, te tibi reddito, Reddito Romam,
Cuius eras prius ordinis illius exprime formam.
Quo modo corpora tunc, ita pectora nunc regi fracta,
Fracta recollige, devia dirige fer labefacta.
Per fera prælia, quæq; rebellia perdomuisti,
Pignora stragibus & caput ensibus exposuisti.
Fac modo quod prius, ordo premat pius impietatem,
Virga piacula, crimina regula, lex leuitatem.
Primitus elige, postea dirige jus amantes,
Non lucra grandia sed Synodalia iura parantes,
Qui tua nuncia per pereuntia secula clament,
Nostraq; frigida pessima, feruida facta reflamment.
Sed facis hæc secus, Ecclesiæ decus extenuantes,
Mittis in extera, tollere munera sola flagrantes.
Quem tua dirigit huc manus, exigit ille tributum,
Non bona secula, sed bona fercula molleq; fulcrum.
Suetus ab ubere, non nisi currere vel peditare,
Celtica curribus exit equestribus arua meare.

Qui

Qui modo greßibus ibat ovantibus, incomitatus,
Militat arduus, & ſibi confluus eſt equitatus.
Conſiliarius, ipſeq; nuncius, & lateralis,
Papa tuus præit, acta libri vehit huc Synodalis,
Hoc fremit hoſpite ſiue ſatellite regia plena,
Clerus equeſtria vix animalia paſcit avena.
Serica pallia dat ſibi Gallia, Roma caprinum.
Errat ibi pedes, ambulat hic eques in reſupinum.
Gens fluit obuia, ſit ſibi gloria pulchra videri,
Vrbs ſtrepit, æs ſonat, atq; modos tonat huic ſchola cleri.

Ductus in atria pontificialia molle recumbit,
Pocula præcipit, agmina ſuſcipit, oſcula iungit.
Concilium vocat, in ſolij locat aggere ſeſe,
Imperioſior ambit & altior eſſe præeſſe.
Audit amantius impia, ſurdius æqua ſubaudit,
Nam lucra terrea, cauſa parit rea, non rea claudit.
Roma quid exequar? immo quid eloquar? aut tibi promam,
Vncia te rotat, uncia te notat haud fore Romam.
Tu populos tibi, te rutilans ſibi marca ſubegit,
Semper enim lucra progenies tua vult, agit, egit.
Dum lucra Parthica, dum tuus hoſtica munera Craſſus,
Vult, ſitit, inſpicit, heu ſibi deficit, æs bibit aſſius.
Hæc ſitis ebria, ſtat tibi propria Marte, togaq;,
Te cremat, impiat, urit, inebriat, excruciatq;.
Das ſacra culmina, das moderamina ſacra probroſis,
Arida mitibus, affiua ditibus ambitioſis.

Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma fuisti,
Ecce relaberis, ecce resolveris ordine tristi.
Clauda ruis foris à pede roboris, intus ab æqui,
Irreparabilis hic, ibi labilis, insscia recti.
Vrbs sine juribus, & sine patribus obruta marces,
Dardanias premit, Ausonias emit aureus arces.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere, Roma peristi,
Obruta mœnibus, obruta moribus occubuisti.
Vrbs ruis inclyta, tam modo subdita, quam prius alta,
Quo prius altior, hoc modo pressior, & labefacta.
Fas mihi scribere, fas mihi dicere Roma ruisti,
Sunt tua mœnia vociferantia Roma peristi.
Clauda redu caput alta jaces apud omnipotentem,
Te tua propria clamat inertia stare jacentem.
Capta cupidine, sordida crimine, secula cernis,
Capta reducere, sordida tergere, secula spernis.
Qua patet orbita jam tibi subdita tetragonalis,
Lex jacet irrita, gratia perdita spiritualis.
Qua Padus incipit, & mare suscipit ultima Thyle,
Gratia scinditur atq; resolvitur omne virile,
Gratia mutua deest modo mortua gratia cara,
Quæ neq; verbere sic neq; carcere cedere gnara.
Gnara sub aëre non modo quærere dulce serenum,
Sed bene libera ferre vel aëre turbine plenum,
Quam mala frangere, læta resolvere ne videantur
Quin bene prospera fortiter aspera suscipiantur.
Gens mala pullulat, & mala postulat, estq; probrosa,
Stirpsq; malis mala patribus est sata, stirps vitiosa.
Corpore fortior, immo ferocior hydra resecto,

Ecce

Ecce renascitur altera redditur hydra profecto.
Pectore vipera gens, moritur, fera, bis fera prodit,
Quæ male conscia luminis omnia rodit & odit.
Gens sterilissima, quam premit intima tam leve pressa
Quæ bona destruit omnia, quæ fuit ore professa,
Est pia vocibus, ethnica moribus impietatis.
Catholicus sonus ore sonat bonus, & caret actis.
O dolor, ô furor, ô scelus, ô pudor! omnia sordent,
Criminis omnia, nil bene conscia corda remordent.
Flet pudor omnia crescere turpia, cedere pulchra.
Hypocrisis micat, & Sathanæ dicat alba sepulchra.
Mens pia vapulat, & decor exulat exule jure.
Quis q̃ lucro perit, huic vacat, id gerit, id sibi curæ,
Commoda carnea lucra q̃ terrea nemo refutat,
Terrea flumina lucra volumina quis q̃ volutat,
Censibus affluus est nimis arduus, est modo clarus.
Divitijs placet haud vitijs tacet hirtus avarus,
Vox sibi libera, nam sibi pondera divitiarum.
Cura stat infima, cura stat ultima nunc animarum,
Immo nec infima, nec velut ultima, sed quasi nulla.
Est ope fortior, ordine dignior aurea bulla.
Rem sibi quærere, quis q̃ recondere rem sibi sudat.
Aurea lamina publica lumina lumine nudat.
Diruta stantibus, inferioribus alta coæquat.
Lumina regia pontificalia lumina cæcat.
Sola pecunia destruit omnia, cuncta venenat,
Cor scit, onus premit, arma dat, os emit, ora serenat.
Criminis unctio, cordis ademptio, fur oculorum,
Parma nocentibus & locupletibus est grave lorum.

Omnia

Omnia mors ferit, omnia plebs gerit ordine mixto.
Pro fore præfore munera tempore constat in isto.
Omnia corripit, omnia decipit heu nitor æris.
Fert tua dextera grandia munera, grandis haberis,
Vilis origine, vilior ordine conditionis.
Si dare sustinet, in decus imminet illud Othonis.
Munere sobrius ambulat ebrius, ipseq; cuius,
Os homo cor Deus approbat, & reus eius & huius.
Natus ab ubere dives, habebere Tullius alter,
Dives amabere, pauper habebere quo modo pauper.
Sola fit arida sola fit inuida copia sensus,
Sola scit insscia, sola dat omnia copia census.
Heu via carpitur ampla, relinquitur omnibus arcta,
Omnibus est gula, lingua q; garrula, guttura fracta.
Cui rogo vivere, cui stipe paupere nunc stat? amori.
Vvida pocula, crassa q; fercula quis neget orit
Quot sine crimine cernis in agmine stare fideli?
Quis modo turpia, quis premit impia cuspide zeli?
Quis vitio rubet, aut animi studet esse pudici?
Se sibi subdere, lubrica vincere, dicere Vici?
Nunc ubi gratia criminis insciat quis bene rectus?
Cui ne q; flexile re, ne q; mobile turbine pectus;
Quem mihi das sine fraudis acumine, quem sine sorde?
Quis colit utile, iurat inutile corpore, corde?
Quis bona postulat, immo quis ambulat abs q; querela?
Cui bene mens bona, nec labra dissona corde, cor ore?
Cui pia lacryma spe flagrat, intima pulsat amore?
Ordo modestia vita q; sobria quid modo possunt?
Quæ modo sunt pia, plus loquar, impia quæ modo non
sunt,

Aurea tempora, castaq́ pectora præterierunt.
Tempora pessima scilicet ultima iam subierunt,
Stant modo stantia lucra, superbia, pax sine pace,
Fraus, Venus, ocia, furtaq́ conscia noctis opacæ,
Schismata, prælia, vis, homicidia, traditiones,
Ira, proteruia, liuor, inertia, seditiones,
Stat simulatio, corruit actio relligionis.
Heu sua propria deputat omnia rex Babylonis.
Pax, patientia, norma, modestia, ius & honestum,
Sunt vaga nomina, fictio culmina dat, probra quæstus.
Ad bona friguit, ad mala ferbuit ignis amoris,
Lex iacet abdita, stando stat edita flamma furoris.
Dat Venus ebria mixta cubilia more, ferarum,
Lingua tacet mea, nam minus est ea dicere clarum.
Quid loquar ô Deus, ecce stylus meus, ecce fatiscit,
Vincor, & omnia non loquor impia, pars mala vicit.
In tenebris sine simplice lumina cuncta tenentur.
Cuncta jacentia, pervigilantia nulla videntur.
Omnia possidet, urget & obsidet una vorago.
Secula lubrica possidet unica mortis imago.
Nil sine vulnere lugeo cernere, credite verum,
Quisq́ nefas legit, altaq́ nox tegit omnia rerum.
Cernimus omnia pene silentia cæca tenere,
Et scelus obijce, crimina vindice cuncta carere.
Quippe rnentibus ordine patribus, Ecclesiarum,
Corruit & rigor, & rigidus viger eius earum.
Deniq́ plebibus & senioribus æs dominatur,
Ad mala tenditur, ad fora curritur, ac lucra statur,
Gens temerata, turba nefaria, gens scelerata,

Gens

Gens mala, gens rea, cur lucra terrea sunt tibi grata?
O male visibus interioribus exoculati.
Cur malè vivitis, armaq; traditis ebrietati?
O malè visibus interioribus, ô malè cœci!
Quid juvat addere, quid rea subdere pectora fœci,
Gens vaga cordibus ad bona trisibus, ad mala lætis,
Cur sine lumine, non sine crimine stando jacetis?
Faulus adest, tonat, ipseq; sic sonat, evigilate,
State viriliter, & socialiter in grege state.
Mens lue sordida, crimine torpida, prona caducis,
Dedecus exuat, & decus induat, armaq; lucis.
Surgite, surgite gens rea tergite vel graviora.
Lux venit ultima, jamq; noviſsima creditur hora.
Vt mala terminet, arbiter imminet ille tremendus.
Dulcis amantibus, irreverentibus ipse verendus.
Iudiciaria parcere nescia, plena furoris,
Illa dies venit, hanc modo prævenit actio mortis.
Iam tuba septima, jamq; noviſsima plaga paratur,
Censor adest Deus, evigilet reus excutiatur.
Mens rea nitere crimine surgere, si mala purges:
Digna perennia tollere præmia sine resurges.
Certa loquens aro, surget humo caro mortua tandem,
Estq; quod astruat, ista quod instruat hinc dubitantem.
Est avis unica, quæ viget unica, nomine phœnix,
Hanc cinerescere fert, ita surgere sermo fidelis,
Vermis & hinc avis esse sinit gravis, avolat alis,
Inde renascitur, eseq; cernitur hæc, modo qualis.
Id tua funere membra resurgere posse fatetur.
Surget homo tua tunc caro mortua, nil dubitetur.

Cedet

Cedet ad æthera mitis, ad infera, qui modo turget.
Fluxa tenens fluet, ardua corruet, ultima surget.
Ibit in infera nunc male libera gens Babylonis,
Massa nefaria portio propria perditionis.
Cœlica gloria stabit in omnia secula sanctis.
Pax erit omnibus illa videntibus ora tonantis.
Quid loquar amplius, aut ferar altius, aut sequar ultra
Pagina claudere, jamq; retexere desine multa,
Claudere pagina, denique carmina nostra valete.
Gens temeraria, turba nefaria, flendaq; flete.
Vos ego carpere, vestra sed edere probra cupivi,
Vos ego carpere, vestra sed edere non probra quivi.
Heu lacrymabile, væ miserabile dic genus Evæ.
Gens temeraria, nunc tibi gaudia, post tibi væ væ
Est apud infera, væ tibi gens fera, turba furoris,
Nunc quoq; væ tibi, nam labor hic, ibi pœna laboris.
Vos sacra concio, sacra creatio currite, state,
State flagrantibus æthera cordibus in bonitate,
Vos sacra lilia, viva monilia, vasa decoris,
Luminis agmina ferte preconia cordis & oris.
Vt Deus à nece nos trahat hinc, prece poscite sancta,
Vt fuget impia tot mala, talia, fœtida, tanta.
Vestra precatio, lingua, cor, actio, mens bene casta,
Vitaq; libera clamet ad æthera, clamet ad astra.
Crimina crescere flete, tepescere jus, decus æquum,
Flete, gemiscite, denique dicite, dicite mecum.
Qui regis omnia, pelle tot impia, surge permus,
Nos Deus aspice, ne sine simplice lumine simus.
Tot probra, tot mala, tot preme scandala qui regis astra

Parce

Parce iacentibus, influe stantibus, omnibus asta.
Christe pijssime, scandala reprime, facta remitte,
Et bona construe, cætera dilue rex benedicte.
Dæmonialibus hactenus artibus erue tentos;
Rex sate virgine, fer cruce, sanguine, morte redemptos.
Respice, respice nos patris unice virgine nate,
Da mala plangere, da bona sumere, da tua, da te.
Aurea tempora, primaq; robora redde, rogamus.
Nos modo dirige, postmodo collige, ne pereamus.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026/phys_0136
DFG

Cedet ad æthera mitis, ad infe … geſi.
Fluxa tenens fluet, ardua cor… ſ.
Ibit in infera nunc male libera…
Maſſa nefaria portio propria p…
Cœlica gloria ſtabit in omnia …
Pax erit omnibus illa videntib…
Quid loquar amplius, aut ferar… r ultrà
Pagina claudere, jamq; retexe…
Claudere pagina, denique carmi…
Gens temeraria, turba nefaria…
Vos ego carpere, veſtra ſed ea… ,
Vos ego carpere, veſtra ſed ede… ivj.
Heu lacrymabile, væ miſerabil…
Gens temeraria, nunc tibi gæ… væ
Eſt apud infera, væ tibi gens f… ,
Nunc quoq; væ tibi, nam labo… oris.
Vos ſacra concio, ſacra creatio…
State flagrantibus æthera cordi…
Vos ſacra lilia, viva monilia, …
Luminis agmina ferte preconi…
Vt Deus à nece nos trahat hinc… ctæ,
Vt fuget impia tot mala, talia…
Veſtra precatio, lingua, cor, a… ſtra,
Vitaq; libera clamet ad æthera… .
Crimina creſcere flete, tepeſce… um,
Flete, gemiſcite, denique dicite…
Qui regis omnia, pelle tot impi… ,
Nos Deus aſpice, ne ſine ſimpl… s.
Tot probra, tot mala, tot preme… is aſtra
Parce

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745843026/phys_0137
DFG